INSTITUTIONES
GRAMMATICAE
IN USUM
SCHOLARUM GRAMMATICARUM
REGNI HUNGARIAE
ET
ADNEXARUM PROVINCIARUM.

Pars III.

Constat in cruda 29 *xr. Mon. Conv.*

BUDAE,
TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE
1844.

Nihil ex Grammatica nocuerit, nisi quod supervacuum est.

Quintilianus.

Nos Institutionem professi, non solum scientibus ista, sed etiam discentibus tradimus: ideoque paulo pluribus verbis debet haberi venia.

Idem.

PRIVILEGIUM.

Nos Maria Theresia, Dei Gratia Romanorum Imperatrix Vidua, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae etc. etc. Regina Apostolica, Archi-Dux Austriae, Dux Burgundiae, Magna Princeps Transsilvaniae, Dux Mediolani, Mantuae, Parmae, etc. Comes Habsburgi, Flandriae, Tyrolis, etc. Vidua Dux Lotharingiae et Barri; Magna Dux Hetruriae, etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis: Quod, posteaquam primis statim fundatae Universitatis, olim Tyrnaviensis annis, Patres abolitae Societatis, qui eandem providebant, Typographiam Academicam erexerunt, atque in eadem quosvis Scholasticos Libros, non interrupta serie, in usum tam eiusdem Universitatis, quam et aliarum in Regno Nostro Hungariae attunc quoque existentium Academiarum, et publicarum Scholarum procudi fecerunt, insuperque super aliis etiam, uti signanter Corporis Juris Hungarici, privative edendis, Benigna Privilegia Nostra, ita dicta Exclusiva, procurarunt, atque penes eadem Privilegia nunc etiam, postquam Universitas Regia Tyrnavia Budam translata, et Typographia Academica quoque hoc loco collocata est, eadem Typographia Excusionem cumprimis Scholasticorum Librorum continuat: pro maiori nihilominus stabilitate, et securitate, nomine praefatae Typographiae, et respective Universitatis Regiae Budensis, ad quam eadem

Typographia Academica optimo Jure pertinet, Majestati Nostrae supplicatum exstitit humillime, quatenus saepefatam Typographiam Benigno Privilegio Nostro Regio eum in modum, ut nemo sive Spiritualium, sive Laicorum, sive Nobilium, sive Ignobilium, Eruditorum, vel Rudium, Bibliopolarum, Bibliopegorum, aut Typographorum, denique quorumcunque Institutorum, et Veteratorum memoratos cuiuscunque generis Libros Scholasticos in usum Academiarum, Gymnasiorum, ac quarumvis Scholarum publicarum, per Regnum Nostrum Hungariae, eoque pertinentes Provincias, Auctoritate Nostra Regia, quocunque tempore praescribendos, seu in toto, seu per partes, in compendio, vel quocunque demum formato typis denuo exprimere, vel in exteris provinciis excusos in Regna, et Provincias Nostras haereditarias, cumprimis Hungariam, eidemque adnexas Partes, sine ejusdem Typographiae praescitu, et annuentia invehere, et vendere ausit, clementer munire dignaremur. Unde Nos ex clementissima reflexione, quod Fundus Typographiae partim pro intertentione et conservatione Bibliothecae Universitatis, sed et aliarum ad Academias Regias, reliquaque publica Scholarum Instituta pertinentium, partim *pro remunerandis eruditis Lucubrationibus destinatus sit*, partim denique in alios optimos fines deservire debeat, praecipue vero, quod hac etiam ratione noviter constitutum Systema Literarium confirmare, atque promotionem Rei Literariae quoquo modo adiuvare velimus, id eidem Typographiae, de Regiae Potestatis Nostrae plenitudine, et Gratia speciali, clementer annuendum, et concedendum esse duximus: quatenus eadem Typographia praedeclaratos Scholasticos Libros libere, et

privative imprimi, divendi, et distrahi facere, hocque benigno indultu, et annuentia Nostra, generatim autem omni eo Iure, quod prius Typographia penes Universitatem Tyrnaviensem collocata habuit, in perpetuum uti, frui, et gaudere possit, ac valeat, ea tamen lege et conditione; ut omnes eiusmodi Libros, ante eorum impressionem, legali, atque in Systemate quoque literario praescriptae censurae praefata Typographia submittere teneatur; e contra nemini sive Spiritualium, sive Laicorum, sive Nobilium, sive Ignobilium, Eruditorum, vel Rudium, Bibliopolarum, Bibliopegorum, aut Typographorum, denique quorumcunque Institutorum, aut Veteratorum praementionatos Scholasticos Libros vel in toto, vel per partes, in compendio, vel quocunque alio formato interpolare, typis denuo exprimere, vel alibi impressos in Regna Nostra haereditaria, atque Hungariam imprimis, eidemque adnexas partes, sine eiusdem Typographiae scitu, et annuentia invehere, et vendere palam, vel occulte, sub poena confiscationis eiusmodi Librorum, ac praeterea decem marcarum auri puri, in una Fisco Nostro Regio, in altera vero medietate eidem Typographiae applicandarum, licitum sit, aut permissum, prouti clementer annuimus, et concedimus, ita serio et firmiter inhibemus praesentium per vigorem. Quocirca universis, et singulis, cuiuscunque Status, Gradus, Honoris, Officii, et Praeeminentiae Fidelibus Nostris, ubivis in praerepetito Regno Nostro Hungariae, Partibusque eidem adnexis, constitutis, et commorantibus, signanter vero Comitatuum quorumcunque Supremis, et Vice-Comitibus, Iudicibus Nobilium, et Iurassoribus, ac totis Universitatibus, prouti Regiarum ac Liberarum Civitatum Nostrarum, aliorumque locorum privilegiatorum Iudicibus, Iuratis

Civibus, et Senatoribus, ac ipsis Communitatibus, praesentium Nostrarum notitiam quoquo modo habituris, harum serie benigne committimus, et mandamus: quatenus mentionatam Typographiam Universitatis Regiae Budensis in impressione, et distractione praememoratorum Scholasticorum Librorum nullatenus turbare, aut impedire praesumatis, vel sitis ausi modo aliquali, quin potius eandem hacce benigna concessione, et indultu Nostro Regio in perpetuum libere, et absque omni impedimento, uti, frui, et gaudere permittere; alios vero, qui eosdem libros imprimere, vel aliunde inducere, sicque divendere attentarent, ab ejusmodi impressione, inductione, et distractione, serio, sub poena supranotata prohibere, Auctoritateque etiam Magistratuali ipsi Typographiae hoc in passu toties, quoties necessum fuerit, assistere, modis omnibus debeatis, et teneamini, secus non facturi. Praesentibus perlectis, Exhibenti restitutis. Datum in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae, die quinta Mensis Novembris, Anno Domini Millesimo, Septingentesimo, Septuagesimo Nono, Regnorum Nostrorum Hungariae, Bohemiae, et reliquorum anno quadragesimo.

Maria Theresia m. p.

(L. S.)

C. Franciscus Eszterházy m. p.

Adamus Csathó m. p.

PRAEFATIO.

Tertia *Institutionum Grammaticarum* pars quibus rebus constet, facile ex conspectu ad frontem posito aestimare licet; quibus vero adminiculis SYNTAXIS praemisso compendio Orthographiae Latinae, et triplicis classis *Versibus Memorialibus*, utpote: de *generibus nominum*, eorum *declinatione*, atque *praeteritis*, *et supinis verborum* in hanc formam digesta, et quibus e rationibus singulae eiusdem sectiones, et capita hac methodo concinnata sint, *Praefationes* I. et II. Institutionum Grammaticarum parti praemissae, et *Admonitiones* Magistrorum gratia singulis fere capitibus adnexae luculenter docent. Iuvat nunc aliqua circa modum, quo liber hic III. Grammaticae Classis usui destinatus tractari possit, animadvertere.

I. Ex ORTHOGRAPHIA Latina, cuius praescripto studiorum Systemate singularis tam in Scholis Grammaticis, habenda esse ratio praescribitur, nonnulla magis necessaria iam I. et II. Intitutionum Grammaticarum parte tradita sunt; quae hic breviter recolentur, et ex adnexis Hypomnaematibus ea inprimis proponentur, quae scholae huius tironum ingenium acuere, ad etymologiam, analogiamque vocum eos reducere queant, et e quibus sponte de vera literas et vocabula scribendi ratione indicare, nec semper aliorum exemplo, et auctoritate, sed suo etiam consilio, niti discant

II. Ad repetendas regulas de generibus nominum, eorum declinatione, et praeteritis, ac supinis verborum faciunt versus memoriales maiorem partem *Alvereziani*, qui ad praecepta II. Grammatices anno, soluta etiam oratione exposita, memoria diutius retinenda, teste longa experientia, valde accomodati; habet enim aliquid peculiare Poëtarum ille numerus, ac modus ad memoriam vehementer firmandam. Vix est aliquis, qui *versus* quondam *memoriales* non adferat.

III. SYNTAXIS parte hac III. sibi principem vendicat locum, complectitur-

que materiam doctrinae multo uberrimam: qua videlicet rectae latinitatis maxima pars nititur. Quare in hac parte Grammatices tiro tamdiu exercendus, dum omnes huc pertinentes regulas cognoverit, et tanquam Architectum Orationis Grammaticae se profiteri ausit. Idcirco data hic fuit opera, 1) ut quo ordine sunt expositae octo partes Orationis in ETYMOLOGIA Institutionum Grammaticarum parte I. et II., eadem plane via recta et linguae latinae genio respondens singularum octo Orationis partium compositio, seu Syntaxis pertractaretur. 2) Ut exemplis, per quae teste Seneca, potissimum *iter breve et efficax*, non aridis, ieiunis, mancis phrasibus, sed ex Auctoribus Classicis, per celeberrimos veteres, et recentiores Grammaticos magno studio conquisitis proposita singula Syntaxeos praecepta illustrarentur, iisque talibus, e quibus praeter linguae latinae culturam, et proprietatem, res simul utiles et necessarias de Historia Graeca et Romana, de officiis atque moribus, tanquam aliud agendo, d i s c e r e n t, exemplisque explanatis mores conformare, praeceptionesque in usus vitae futurae convertere commonerentur adolescen-

tes. Exemplis his, quorum bene multa dedita opera adducta sunt, ediscendis non opus tironum memoriam fatigare; verum perutile erit eos ad ea saepius legenda, ad explanatas regulas revocanda, atque in linguas etiam vernaculas transferenda adstringere.

IV. ADMONITIONES ad solos Magistros, praesertim novitios pertinent: ut ex iis rationem exercendi, vel explicandi facilius hauriant.

V. In ADMONITIONIBUS nonnulla priscorum, Plauti maxime, aliorumque Comicorum Poëtarum, praeterea et Historicorum, imo probatiorum nonnunquam aureae, et argenteae aetatis auctorum exotica quaedam, et Pacuvio sermone referenda loquendi genera haudquaquam imitationis, sed interpretationis duntaxat causa allata sunt. Scribebam Budae, Nonis Novembris MDCCCVIII.

Josephus Grigely,

A. LL. et Philosophiae Doctor Collegiatus ac in Regio Archi-Gym. Budensi II. Hum. Prof. p. o. et Senior.

Conspectus
Institutionum Grammaticarum Partis Tertiae.
pro
Classe III. Grammatices.

INTRODUCTIO
AD
PARTEM III.
INSTITUTIONUM GRAMMATICARUM.

Tria imprimis sunt, quae in *Arte Grammatica* tractantur: 1) Orthographia. 2) Etymologia. 3) Syntaxis.

Ad haec tria, quae dicenda, et docenda habemus, hac Institutione Grammatica Partis III. redigemus omnia, hac tamen lege: ut ex Orthographia et Etymologia, de quibus iam Parte I. et II. actum, quae maxime necessaria sunt, hic repetamus; reliqua vel lectionibus servemus, vel plane omittamus. Syntaxis Parte hac III. sibi principem vendicat locum.

I.

De Orthographia.

Monitum. Cum teste Quintiliano Inst. Orat. l. 5. *alii barbarismi scribendo fiant, alii loquendo, quia, quod male scribitur; male etiam dici necesse est;* utiliter hic ea recoluntur, et novis accessionibus augentur, quae Institutionum Grammaticarum Parte I. et II. posita sunt; ac ne haec a discipulis parvi pendantur, aut negligantur, suam Magistri industriam quam diligentissime conferant, atque sedulo provideant, ut non solum *Exercitia correcta* in *Semestralibus examinibus* exhiberi solita, verum etiam *themata domestica*, et *scholastica* non tantum nitide, quod *Calligraphia docet*, sed et correcte, atque emendate, quod Orthographia praecipit, describant; neque enim negligenda sunt minora, sine quibus maiora constare non possunt.

Quid est Orthographia?

Est vera literas, et vocabula scribendi ratio.

Nota. Scriptores Orthographiae latinae multi sunt, alii vetustiores, recentiores alii. Iuvat nonnullos Magistrorum gratia adferre: veterum auctorum de *Orthographia*; ut: *Velii Longi*, *Flavii Capri* Grammatici vetustissimi, *Q. Terentii Scauri*, *Agroetii*, *Magni Aurelii*, *Cassiodori Senatoris*; *V. Bedae Sacerdotis*, *Terentiani Mauri*, *Marii Victorini Dissertationes*, *quas omnes* ex vetustatis, et mendorum situ eruit, et quantum quidem per scriptos codices licuit pristino nitori restituit *Helias Putschius*. Orthographiam deinde novam post *Aldi Manutii*, *Iusti Lipsii*, *Claudii Dausquii*, aliorumque labores in hac parte Grammaticae egregios ex antiquis monumentis collegit denuo, discussit, et examinavit, atque iis praecipue scribendi modis, in quibus dissident hodieque eruditi viri, adcommodavit *Christophorus Cellarius*. Cellarianam hanc Orthographiam Commentariis suis illustravit, et ex *Manutii*, *Dausquii*, *Schurzfleischii*, *Cortii*, *Norisii*, *Tortellii*, *Io. Mich. Dilherri*, *Becmanni*, *Funcoii*, *Heusingeri*, *Noltenii* Orthographia, aliisque praestantissimis Philologis ea, quae Cellarianae deerant, supplevit, atque adeo quoddam quasi Syntagma effecit *Christoph. Harlesius* Professor Coburgensis, e cuius Praefatione, et notis, quas libro Cellariano adiecit, plures, qui de Orthographia latina scripserunt, disci possunt; nec intermittendus *Aloys. Ant. Vernii* Archidiaconi Eborensis liber singularis de Orthographia latina Romae 1749. in mai. 8. editus: item ea quae *Imp. Ioh. Gerh. Scheller Praeceptorum Stili bene latini Part. I. Cap. I.* de Orthographia tradit.

Quae sunt illae regulae, et axiomata, quibus fundamenti loco positis commode superstruentur reliqua de Orthographia, multaeque cadent Grammaticorum rixae?

Eius generis sunt, quae sequuntur:

I. Antiquitatis monimentis fides non est temere habenda. Nam ad Orthographiam docendam necesse

est, ut antiqua monimenta sint vera et genuina, ut constanter eandem rem tueantur, sintque dubio omni libera. *)

II. Grammatici antiqui in rebus dubiis non facile sequendi, nisi probabiles; ita nec aliter scribendi rationes adferant, aut testibus satis locupletibus, omninoque antiquitatis auctoritate nitantur.

III. *Etymologiae* potissimum ratio habenda, eiusque veritas tuenda contra singula antiquitatis exempla, ac proinde nec *Codicum*, *numorum*, *et lapidum* scriptura pro certa Orthographiae regula habenda. **)

IV. Dandum etiam aliquid auribus, ita, ut Euphoniae interdum contra Etymologiam consulatur. ***)

V. Accedit *Analogia*, *sive rerum similitudo*, ex regulis certis inter se comparatio, quam sequi par est, etiamsi ab antiquorum auctoritate recedas. ****)

VI. Ac dici vix potest quam late semper patuerit constans loquendi, scribendique usus, quippe quia leges, quas Orthographia proponit, ita saepe migrant, ut Cicero iam *loquendi usum populo concesserit*, *iam scientiam sibi servaverit*. Multa, quae Etymologia, et Analogia admittit, plene repudiat usus, quem penes non modo loquendi, sed et scribendi arbitrium est. Quis feret scribentem *legtum* pro *lectum*? et tamen illud a *lego* est.

VII. In iis, quae ancipitis scripturae sunt, ea ratio praeferenda, quae verisimillima videatur. *****)

VIII. Si quae praeterea sunt, quae dubia maneant, ea, praesertim si non adeo magni momenti videantur, arbitrio cuiusvis sunt relinquenda. ******)

Nota. *) Nonnulli illum scribendi usum, qui apud priscos obtinuit, vel potius obtinuisse videtur, ac creditur, pro certa regula nostrae scripturae habent, sed regula haec saepe numero fallit: nam primum

priscus scribendi vocabula usus in plerisque vocabulis incertus est, quia neque manuscripta veterum habemus, e quibus, quomodo singula verba scripserint, cernere liceat, nam codices scripti non attingunt ista tempora, neque ipsi prisci Scriptores, ut Caesar, Cicero, Livius etc. nos de sua scriptura satis docuerunt; deinde, etiamsi eorum usum et scripturam sciremus, tamen haec non posset esse regula certa, quia tam varia fuit, ut alii hanc, alii illam scribendi rationem amplexi sint, prout aut pronunciationem, aut Etymologiam, aliamve causam sequendam putarent, e. g. Quintil. docet sua aetate scripsisse multos *set*, *aput*, *Alexanter* etc. Cicero ait: se propter aures aliorum, ac, quia alii ita scribant, scribere *pulcher* pro *pulcer*; sic alii *optumus*, *maxumus*, etc. alii, in his Caesar: *optimus*, *maximus*, etc. sic et *decimae*, et *decumae*; sic alii Dativum quartae decl. *Ui*, v. g. *fructui*; alii, ut idem Caesar, *U* terminabant. Omnibus nimirum in linguis vivis, varietas scripturae deprehenditur; quia alii pronunciationem, alii etymologiam vel veram vel opinatam, alii exempla, alii aliam sequuntur causam. Haec varietas non hodie tantum post inventam artem typographicam adhuc regnat, sed ante illam multo magis regnavit. Scribebant tum plerumque, prout pronunciabant, ac quia pronunciatio non eadem erat, non eodem etiam modo scribebant.

**) Aliqui scripturam *codicum*, *numorum*, et *lapidum*, pro certa Orthographiae regula habendum esse existimant. Non magnopere. Nam variat et ipsa, ut adeo semper incerti simus: at regula debet esse certa. Scriptura, quae in codicibus MSSC. observatur, pro certa regula haberi non potest, cum librarii, qui bibliopolis operas locaverunt, plerumque fuerint homines indoctissimi, eodemque modo, quo prisci, magis suis auribus, h. e. pronunciationi aliorum, quam veritati obtemperarint, ac saepe verba, quae scriberent, nec intellexerint quidem. Neque ex *inscriptionibus in lapidibus* factis, exemplum Orthographiae semper peti potest; aberrarunt in iis sae-

pe indocti lapicidae, atque opifices, occurrit in iis v. g. *adque*, *quodannis*, *apsens*, *optinebit*, *scaena*, *temtare*, *epistula*, pro: *atque*, *quotannis*, *absens*, *obtinebit*, *scena*, *tentare*, *epistola*. Deinde, in marmoribus vetustissimis multa exstant, quae passim emollivit elegantior aetas. Accuratissimam plerumque scribendi rationem sequuntur *numi;* sed neque ab his, quia non semper a criticis linguae peritis signati sunt, certam scripturae legem arcessere licet. Idcirco in definiendis Orthographiae regulis merito principatus tribuitur *etymologiae*. Sic e. g. per legem etymologiae firmatur:

Adolescens non *adulescens;* est enim ab *ad*, et *olesco*, id est: cresco. Lapides quidem, et librarii saepius habent *adulescens*. Spon. Misc. P. 129. ex inscriptione citat: ADULESCENTIAE.

Assimilare rectius est, quam *assimulare*, quia est a similis; sic pro *simulare*, *dissimulare*, rectius scriberentur: *similare*, *dissimilare*, proprie enim *simulare*, est se *similem reddere*, et *dissimulare*, *se dissimilem reddere;* ut vel ex hoc Martial. L. 2 epigr. 35. patet: *Cum sint curae tibi*, *simulent quae cornua lunae.*

At quis usum loquendi inveteratum impugnare vel tollere audeat?

Benevolus, *benevole*, etc. et non *benivolus*, *benivole*, ut Lipsius, et aliqui veteres Grammatici scribendum esse contendunt; venit enim a *bene et volo.*

Ceteri rectum, non *Caeteri*, *aut Coeteri*, suadet sic 1) Etymologia, est enim a graeco ἕτεροι sed h saepe abit in C. contra, v. g. *Cornu*, *Hornu*. 2. Lapides etiam vetusti sine diphthongo habent. In tabula aenea perantiqua Gruter. p. 682. seq. CETERI VIATORES: et lege Agraria apud eundem p. 202. CETERORUM. Illi scribunt per diphtongum qui a και et ἕτεροι derivant.

Deliciae, non *delitiae*, quod vel e *delicatus patet;* est enim a verbo antiquo *delicio.*

Emtus, non *emptus;* et sic alia: *redemtus*, *sumtus*, non *redemptus*, *comptus*, *sumptus*, etc. scribenda,

neque literam p. sine necessitate contra Etymologiam inserendam esse; nonnulli, ut *Cellarius*, *Harlesius*, *Schellerus* etc. volunt: alii vero inserto p. ut sonantius pronuncientur, scribendum esse *consumpsi*, *consumptum*, etc. defendunt exemplo lapidum vetustorum, in quibus legitur: *sumptus*, *emptus* etc.; sed legitur etiam EMTUM antiquo fragmento Agrariae legis (Grut. pag. 203.) et in urbis inscriptionibus, SUMTU SUO, item INCENDIO CONSUMTUM RESTITUIT. Ad usum in similibus respiciendum. Frequentior usus in his est cum p. nec vero altera scriptura sine p. est mala, aut damnanda.

Exspectare rectius, quam *expectare;* est enim a *specto.* Et cic Quintilianus quoque iudicavit: sic *exstare* rectius, quam *extare*, *exsequi* rectius quam *exequi*, hinc *exsequiae* per s, quia ab *exsequor*, hoc e. a *sequor.* Eadem ratio est vocum: *exsul*, *exsilium*, quia ab *ex* et *solum* derivantur. *Scaliger* de causis L. 1. pag. 79. *exsul*, *exsequor* iubet scribere. Dirimere hanc litem antiqua monumenta, et MSta poterunt. Manutius adducit lapides pro utraque scriptura.

Inclytus per *y*, quia est a χλυω χλυτος Tolerandum videtur *inclutus* ut *Sulla et Sylla*, quia *y* in *u* saepius transire solet. Quod vero civitate verbum antiquo donatum fuit, latine alii inclitus scripserunt.

Lapicidina, non *lapidicina;* est enim a *lapis*, et caedo.
Museum, non *musaeum;* est enim a graeco μυισεῖον.
Numus, non *nummus* e. g. νόμισμα.
Opsonium, non *obsonium;* est enim ex graeco ὀψῶντον:
Qui obsonium scripsere, cogitarunt forsan praepositionem latinam *ob.*
Poena, *non paena;* est enim e ποινὴ.
Scena, *non Scaena;* est enim e graeco σκηνὴ.

Sincerus sine *y*, contra quam *Dausquius*, et Becmannus scribunt *syncerus*, est enim proprie sincerus, quasi sine cera: diciturque de melle depurato, et despumato, cui nihil amplius scoriae cereae inest, licet postea metaphorice etiam ad alia pura, et quae nihil inconveniens admixtum habent, accomodetur, ut: *animus sincerus.* etc.

Et haec quidem exempla sufficiant, e quibus satis perspicient tirones, quanti referat Etymologiam didicisse non tantum ad genuinam vocabulorum notionem cognoscendam: sed etiam ad rectam, legeque Etymologiae firmatam multa vocabula scribendi rationem. De singulis enim vocabulis monere, Lexicographorum est. Pars posterior libelli Cellariani tractat de vocum singularum Orthographia.

***) Adfectatae Orthographiae notam non effugiunt, qui in scribendo omnem *Euphoniam* negligunt scribentes: e. g. *Conlega* pro Collega, *conruit*, pro corruit, et similis praepositio et negatio *IN* plus fatigat Orthographiae studiosos. Ante literas C. D. F. G. H. Q. S. T. salva res est: e. g. *incido*, *induco*, *infigo*, *ingero*, *inhaereo*, *inquiro*, *insisto*, *intingo*, dubia ante ceteras. In lapidibus enim INLATIS coronis. Grut. 124. Varro IV. de L. L. *inlicio*: Festus *inlicium*, *inliterata*. Inscriptiones passim *inlustris*, *et inlustrare*. Aldus Manutius ad iudicium aurium provocat. *Illustris inquit*, *malo*, *quam inlustris; ut illectus*, *quam inlectus; illudo*, *quam inludo. Cur enim non consulatur auribus? quarum iudicium superbissimum dixit Cicero in Orat.* (*Cap.* XLIV.) *ut omittam Scaurum*, *veterem Grammaticum idem sensisse*, *cuius de mutatione novissimae literae praepositionum haec regula est; Quoties a liquida litera sequens coeperit*, *vertitur in eam*, *cui liquida praeposita fuerit.*

****) Ex: *Analogia:* v. g. ut: *conditio*, *rectio*, *ita auditio*, *non audicio*, *institutio*, *non institucio* scribi debet. Ut: *decumus*, *et decimus; ita optumus*, *et optimus: ut a divitis fit divitiae*, *non diviciae: ita a sapientis*, *prudentis*, *sapientia*, *prudentia*, *non sapiencia*, *prudencia:* ut ab *audacis*, *audacia*, *non audatia:* ita a *ferocis*, *ferocia*, *non ferotia etc.*

*****) Ad ea, quae certa quidem Etymologia non nituntur, magna tamen verisimilitudine se commendant, pertinent e. g. sequentia:

Coelo, *are* rectius, quam *caelo*, quia videtur, e graeco *Χεῖλον* esse, eique nostrum *Kivájni*, aushölen. etc. respondere. Hinc et *Coelum*, ég, menny, der Himmel

rectius videtur, quam *Caelum*, quod auctoritate *Perizonii* ad Sanct. IV. 16. n. 16. aliqui a *Cavo* derivant et per *ae* scribendum esse defendunt.

Caena rectius, quam *Coena*; quia *communis* erat et domesticis et amicis, e graeco χοινὴ. Graeci non alio tempore fere utebantur amicis, quam in *Caena*, nec sine convivis fere esse solebant. Lapides in hac voce valde discrepant. *Sponius* pag. 292. in Neapolitano lapide CAENACULUM legit. *Cena* saepe apud Gruterum. E. g. pag. 105. n. 11.

Convicium, rectius quam *Convitium*. Videtur a vox descendere, ut proprie sit *convocium*, h. e. clamor multorum simul vocem intendentium, et sic est apud Phaedr. 4. 1. de ranis. *Clamorem ranae, sustulere ad sidera. Convicio permotus Iupiter etc.* ac deinde *omnis vehemens clamor*, imprimis eorum, qui alicui irascuntur, seque ulcisci verbis saltem cupiunt.

Femina in libris et lapidibus sine diphthongo legitur; videtur ab antiquo verbo *feo*, id est; *pario*, *procreo*, graeco φύω provenire. Sic et *femen*, *et femur* auctore Festo Gellius XVI. Cap. XII. Varronis verbis probat, ipsum et *fenus*, *et fetus*, *et fecunditas* E simplici scripsisse. Dausquius *foecundus*, *foemina*, *foenus*, *foedus* scribit.

Hyems qui derivant a graeco ὕω pluo, scribunt per *y*; plerique vero per simplex I. Nec derivata habent *y*, Vetus tabula, quam Manutius vidit. et Gruterus p. 501. transscripsit, habet: HIEMANDI CAUSA: et mox MILITES HIEMENT. Sic Hibernum cum I. habent libri veteres, et lapides. Latini graecas literas, quales sunt: y, th, k, ph, ch, z, caute tractant, nec eas in aliis vocibus, quam, quarum manifesta est ex graecis, non vero a sola coniectura Grammaticorum petita derivatio, adhibent. Immo in illis etiam, quae a graecis descendunt quidem, sed diuturno apud Quirites usu, penitus in latinas loquelas abierunt, et tanquam Latina civitate donata, non ut Graeca, et peregrina censentur, *y* non adhibent: praecipue si in literatis etiam lapidibus, et numis *y* exclusum fuerit: sic scribunt, e. g. *hiems*, *stilus*, *silva*, *inclitus*, *clipeus*, *lacrima*, *ociter*, *ocissime*, etc. in iis

vero vocibus, quas deductas esse ex Graecis constat, et in quibus etiam subinde in veterum monumentis, et a probatis literatoribus, litera *y* asservata est το *y* retinent, ut in *Syria*, *Syriacus*, *Symbolum*, *Sycophanta*, etc.

Heres, rectius videtur, quam *haeres*, quia is ita fit *herus*; sic et *hereditas*. Fragmento Legis Agrar. Gruter. p. 205. HEREDESVE EIUS. et pag. 20. pro salute uxoris, HEREDUMQ. suorum.

Litera duplici T. libri veteres, Lipsio teste, et lapides. Et Spon. Misc. p. 36. UTRISQUE LITTERIS ERUDITO. ex basi Romanae statuae.

Vide plura in Orth. Cellarii cum Not. Hartes, et Scheller. P. I. C. I. de Orth.

In nonnullis incertum plane est, quomodo scribendum sit, quia origo illorum plane latet. e. g.

Allucinari, *hallucinari*, *vel alucinari*, *halucinari*, Etymologia utriusque, quam adferunt, mirabilis est. Vide Cell. Orth. 170. et seq.

Annulus, *anulus*. Origo ignota. Plerique hodie scribunt *annulus*.

Arcesso, *accerso*. Doctiores hodie praeferunt arcesso.

Bacca et baca. Petrus Victorius auctor est, in Ciceronis vetustissimis libris *bacae* uno *c* scriptum esse; uihilominus plerique *bacca* scribunt, eduntque.

Caerimonia, *Caeremonia*, *Ceremonia*. Origo vocis non certa est. Manutius per *ae*, et i eruit ex lapide, Domitiano a Titi sodalibus dicato, quo ille vocatur: *conservator* CAERIMONIARUM *publicarum*.

Camoena, *et Camena*, origo dubia; licet nonnulli, in his Servius, a *canendo* derivent. Plures cum e simplici scribunt, sed nec diphthongus *oe* reiicienda; visitur enim in veteri inscriptione (Spon. p. 369.) IMMORTALES CAMOENAS.

Caussa, *causa* utroque modo. Illud: geminato sibilo ex usu veterum. Capitolinis lapidibus saepe, REI GERENDAE CAUSSA. vide Grut. p. 290.

Coecus, *et caecus*; *coelebs et caelebs*; origo latet.

Faex, *et fex*. Etymologia ignota. Hinc eruditi utroque utuntur. Qui per *ae* ideo scribunt, ut in Dativo dissideat a praeterito verbi *feci*, hos permagnas agere nu-

ges ait *Dausquius*. In vetere editione Gratii Falisci *faces* simplici *e* scribi monet *Barth*.

Fetialis, *et fecialis*. Per t. Graeca consuetudine, et lapidum auctoritate. Gruterus pag. 1107. adducit: *Leg*. PRO. PR. FECIALIS.

Gleba, *et Glaeba*. Origo latet. Diphthongo ut scribatur, auctor est Manutius, ipse vetustis libris, Virgilii praesertim antiquissimo persvasus.

Indutiae et induciae. Origo incerta. Gellius Manutius, et Vossius stant pro t.

Letum, *et lethum*, id est: mors. Origo etiam incerta. Prius videtur posse a letum, supino verbi *leo* unde *deleo* factum, derivari, qui per *th* scribunt a Gr. λήθη i. e. *oblivio* deduci putant. Doctiores hodie, quia h, quantum possunt, fugiunt, *letum* praeferunt.

Litus, *et littus*. Etymologia latet. Quis enim a *litando* cum Lipsio repetere audeat. Praenestino lapide LITORA: et alio Romano LITTORE legitur.

Nuntius, *et nuncius*. Etymologia aeque ignota. Manutius per *c* praefert, licet non diffiteatur in codicibus, et veteribus inscriptionibus per *t* inveniri: in Cenotaphio Caii Caesaris: *cum allatus esset* NUNTIUS.

Saeculum, *et seculum*. Origo incerta. Quia tamen lapides, imprimisque numi, *saeculum* habent, hoc praeferendum ducunt nonnulli. Nec primae Syllabae quantitas permittit, ut hoc nomen cum vulgo Grammaticorum a *senex*, *seco*, vel *sequi* derivemus.

******) In pluribus nihil refert, utrum scripturam sequare, v. g. *cocus*, *et coquus*; plerique tamen scribunt per *qu*, *locutus*, *et loquutus*; illud plerisque placet. Sic: *tricesimus*, *et trigesimus*, *vicesimus et vigesimus*; meliores libri habent semper *vicesimus*. Cetera enim a *viginti*, c. habent, *vicies*, *vicent*. etc.

Quot potissimum modis peccatur contra Orthographiam?

Quinque modis: Adiectione, Detractione, Permutatione, Connexione, et Separatione.

1) *Adiectione;* quum litera superflua dictioni vitiose additur, e. g.

Querella	pro	*querela*
Villis	pro	*vilis*
(*Anchora**)	pro	*ancora.*
(*Simulachrum*	pro	*simulacrum.*
(*Sepulchrum*	pro	*sepulcrum.*
(*Charus*	pro	*carus.*
(*Thorus***)	pro	*torus.*
(*Author****)	pro	*auctor.*

*) Est enim vocabulum hoc graecum, ubi non est h ἄλκυρα, omninoque τῶ h abstinendum, ubi non e graeco transferri debet.

**) Sunt enim vocabula origine latina, in quibus adspiratio excludenda. Graece ergo intelligere debet, qui de vera scriptura vocum latinarum iudicare vult.

***) Est enim, vel videtur esse ab a:ctum; licet significatio non magnopere conveniat, accedit auctoritas D:onis, qui hoc vocabulum scripsit: ἀυκτώριτας. Sic meliore aetate scriptum Cenotaphio Caii Caesaris: PUBLICA AUCTORITATE: et mox, AUCTORIBUSQUE IIS. Putida ergo *author*, *authoritas*, quia nullus hic locus est literae Θ (th); tolerabilius *autor*, quando significat operis effectorem, quasi ἀντόεγος, vel ἄντως ab ἀνἴός.

2) *Detractione;* quum in scribendo litera quaedam vitiose omittitur, e. g.

*Consumare**)	pro	*consummare.*
*Facilimus***)	pro	*facillimus.*
Antoni (in Gen.***	pro	*Antonii.*
Expecto	pro	*exspecto.*
Scola	pro	*schola.*

*) Lipsius quidem mavult *consumere*, uno *m*, et ad lapides provocat. Sane Ancyrano monumento legimus: *Basilicam consumatam;* at Manutius ex lapidibus his: *consummavit*, *et semel consummator* notavit, quod origo etiam poscit, quia a summus vel summa est.

** Manutius adiectiva in *lis* desinentia duplici *ll* Poëtarum exemplis, qui producunt motus, scribit, et sane sic in melioribus.

) et *) Terentius Scaurus p. 2258. quum questus esset, *detractione scribendi rationem corrumpi*; subdit exempla: 1) quosdam uno *i* scribere genitivos eorum nominum, quae *ius* nominativo sing. finiuntur, ut: *Antonius*, *Antoni*, *Tremelius*, *Tremeli*, exigente regula, ut in horum genitivis *i* litera geminetur; quoniam genitivus singularis non debeat minorem numerum syllabarum habere, quam nominativus, quin imo interdum etiam maior sit. 2) *exulo*, *expectatus*, etc. ait adiecta *s*. litera debere scribi; quoniam adiecta praepositione salvum esse illis (ab *s* incipientibus) initium debeat. Quintil. etiam l. 12. adnotavit *exspecto* scribendum esse, ut ab altero, quod a pecto est, distinguatur.

3) *Permutatione*, quando litera perperam pro alia litera ponitur; e. g.

Bello pro *pello* et vicissim. *Bolus* pro *polus*. *Donat* pro *tonat*. *De* (praepos.) pro *te* (pron. Acc.) *Nequid* pro *nequit*. *Filosophus* pro *Philosophus*. *Sydus* pro *sidus*. *Praecium* pro *pretium*. *Praelum* pro *prelum*. *Gracia* pro *gratia*.

Et plura his similia, ut supra (N. 3.) *(c)*, quae lege etymologiae firmantur, adnotata sunt, e. g. *musaeum*, pro *museum*, *obsonium*, pro *opsonium*, *scaena*, pro *scena*, etc.

Nota. Ne tirones literas *b*, et *p*, *d*, item et *t*, inter se affines permutent, tanto diligentius providebunt Magistri, quanto frequentiorem hunc esse in scholis, praesertim ubi lingua Teutonica magis in flore, vel plane domestica est, errorem quotidiana docet experientia. Intempestiva hac literarum permutatione saepe numero 1) ipse vocum significatus mutatur, ut exempla superius adlata luculenter exhibent: *bello*, hadakozom ich kriege, bugožem: *pello* hajtom, üzöm, ich treibe, honím: *bolus*, darab, falat, der Bissen Kus: *polus*, az égnek sarka, az ég, Pol, der Himmelsangel, der Himmel, Nebe, Wisost, etc. 2) diversae orationis partes fiunt: e. g. *at*, *cum t*, coniunctionem disiunctivam facit: *At regina gravi*, *iam dudum saucia cura*; *ad per d* praepositionem ut: *Ad te confugio*, *et supplex tua numina posco*. Item: *quit*, per

t scriptum, est verbum tertiae personae, cuius prima est *queo*; quid per *d* pronomen neutrius generis. Similiter *quot* per *t* adverbium numeri est, cui contrarium est, *quod per d* pronomen neutrius generis, aliud est enim *quod volumen*, et *quot volumina*. Idcirco ad Magistri industriam pertinebit, errorem hunc in ipsa, ut aiunt, herba suffocare, atque inter literas has, quae vocis sono atque ipsa oris expressione sunt sibi proximae, discrimen docere. *B* et *P* dispari inter se oris officio exprimuntur: nam *B* exploso e mediis labiis sono: *P* compresso ore, velut introrsum attracto vocis ictu explicantur. *D* vero et *T* linguae sublatione, ac positione distinguuntur; nam cum summos, atque imos coniunctim dentes suprema sui parte pulsaverit, *D* literam exprimit; quoties autem sublimata, qua superius dentibus est origo, continget, *T* sono vocis explicabit. Proderit etiam ad errorem hunc tollendum occurrentes in vocibus *B*, *P*, *D*, et *T* literae denominatione Graeca per *Bitta*, *Py*, *Delta et Tau* in dictando aliquo e. g. correcto themate exprimere.

4) *Connexione*, quando coniunguntur literae, quae ad diversas syllabas pertinent, e. g. cum in verbo *nescio s* litera priori syllabae coniungitur, cum posterioris initium esse debeat; est enim *ne-scio*, nam ne pro non apud antiquos positum est.

5) *Separatione*, quando divelluntur literae, quae erant coniungendee, e. g.

Propt-erea pro propter-ea Di-straho pro dis-traho. Di-sputo pro dis-puto.

Nota. Saepe videmus etiam adultiores in hac re peccare, dum vel disiungunt, quae coniungenda erant, vel contra connectunt, quae seorsim sumi debebant; iuvat hic in gratiam tironum ea, quae Part. I. et II. adnotata sunt, *de recta Syllabarum disiunctione* repetere.

Quae regulae de recta Syllabarum divisione observandae?

1) Consonans inter duas vocales posita pertinet ad posteriorem, ut: *a-mo, le-go.*

2) Si consonans geminetur, prior ad priorem, posterior ad posteriorem syllabam pertinet, ut: *an-nus flam-ma.*

3) Consonantes, quae initio vocis non possunt sociari, nec in medio coniunguntur, ut: *ar-duus, artes.*

*) *Adversus hosce tres canones nemo facile peccat, nisi usque adeo sit rudis, ut colligere literas nesciat. At maior usus est regulae sequentis.*

4) Consonae, quae coniungi possunt initio vocis, etiam in medio connectuntur; eiusmodi sunt: *bd*, *cn*, *ct*, *gn*, *mn*, *ph*, *ps*, *pt*, *sc*, *sm*, *sp*, *st*, *th*; *e. g. a-sper*, quia dicitur *spes*; *i-gnis*, quia *gn* consonantes initio vocis, e. g. gnarus coniungi possunt, *scri-psi* quia datur vox, quae incipit a ps, e. g. *psitta-cus*; *sic: a-ctus, ca-ptus, o-mnis, pro-pter*, *schi-sma*, *magi-ster*, quia verba reperiuntur pro *ct*, *mn*, *pt*, *sm*, *st*, incipientia, ut: *Ctesias*, *Ptolomaeus*, *ptisana*, *smaragdus*, *status*, etc. Alii, inprimis Batavi, hanc legem sibi imponi nolunt, sed scribunt, prout pronunciant, e. g. *ig-nis*, *om-nia*, *pis-cis*, *ves-ter*, *aptus*, *etc.* scribat quisque, uti volet, modo causis iustis ducatur, ut scripturam, quam semel amplexus est, conservare queat. Priorem dividendi rationem plerique hodie sequuntur.

Nota. Composita cum praepositionibus ita dividuntur, quemadmodum patitur eorum origo et compositio, in quibus pars quaeque ab altera in divisione est separanda, ut: *in-ers*, *ab-esse*, *abs-trusus*, *dis-cors*, *ex-istimo*, *trans-alpinis*, *praeter-eo*, *propter-ea*, *etc.* Par ratio in aliis compositis, ut: *iuris-consultus*, *olus-atrum*, *alter-uter*, *amphis-baena*, *dysen-teria*, *et-enim*, *etc.* Idem intelligendum de syncopatis e. g. *a-gmen*, *te-gmen*, *pro a-gimen*, *te-gi-men vel te-gu-men*; ideoque *g*, quod ante syncopen ad praecedentem vocalem non pertinebat, etiam post syncopen, vel in syncope ad eandem praecedentem nullum ius poscit. Eadem regula in divisione syllabarum observanda, in vocabulis nempe graecae originis, ut: *Athle-ta*, *cat-e-che-sis*, *cat-e-go-ria*, *chor-agus*, *ex-o-dus*, *ec-li-psis*, *ev-an-ge-lium*, *etc.*

Ubi Literarum figurae maiusculae scribi solent?

In principiis sententiarum, et versuum, uti etiam literae initiales post punctum, e. g. *Nempe incom-*

posito dixi pede currere versus. Lucili. Quis tam Lucili fautor ineptus est, ut non hoc fateatur. Hor. Sat. X. L. I.

2) In nominibus propriis, et quae inde deducuntur, ut: *Moses, Homerus, Cicero, Mosaicus, Homericus, Ciceronianus;* sunt tamen, qui in nominibus adiectivis, a nominibus propriis ortis, abstineant, scribantque: *romanus, latinus, graecus, etc.* Item, quae proprii loco per Antonomasiam ponuntur, e. g. *Romanus Orator* pro Cicerone. *Orbis Domina Urbs* pro Roma.

3) In nominibus Festorum, Officiorum, et Dignitatum, ut: *Pascha, Rex, Dux, Consul, Iudex, etc.*

4) In nominibus scientiarum, titulis seu nominibus librorum, et terminis technicis, ut: *Philosophia, Geographia, Plauti Rudens, Virgilii Aeneis, Species, Figura, Praedicatum, Subiectum, Declinatio*, et cetera.

5) In declinationibus honorum titulos, et pronomina, quae ad nos pertinent, litera maiuscula ordiri. e. g. *Te Vir Illustrissime!* imo eiusmodi integras voces maiusculis literis exscribere usu a plerisquo est receptum, ut: TE VIR ILLUSTRISSIME!

9) In Chronosticis, ut:

MongoLfIr tVtVs sCanDIt sVper aethera naVe.
ICare non pennas qVaerIt habere tVas!

Hoc disticho exprimitur annus 1784. *detecti a Mongolfirio Globi Aërostatici.*

7) In Inscriptionibus, prisco more fieri solitis, in quibus integrae voces maioribus literis effinguntur, et singula vocabula punctis clauduntur, ut: IVLIUS FLAVIVS. IVVENTUTIS. etc.

8) Si quae auctoris cuiusdam verba, membri nota praecedente, referuntur, maiusculam nonnulli adhibent literam.

Nota. 1) Signa seu figuras literarum Graeci a Phaenicibus; a Graecis Romani, sive Itali dicuntur accepisse. Hinc pleraeque Latinarum Literarum figurae communes cum Graecis sunt, ut: A, E, I, O, B, M, N, T, et quae Graecae ideo apud Latinos etiam vocantur: Y, K, Z, aliae leviter inflexae ita, ut etiam ad originem perfacile

revocari possint. Numerus neutri genti admodum certus fuit, sed processu temporis, et sermonis varietate auctus aliquando, aut mutatus, quemadmodnm recentioribus etiam temporibus Literae, I, et V. uniformes, pro soni diversitate: ut infra dicetur, a multis factae sunt biformes. De numero *Literarum*, quae alio nomine etiam *Elementa* vocantur, quasi prima orationis principia, consuli potest Priscianus L. I. More recepto statuuntur tres, et viginti. Scriptura earum est duplex: *Romana et minuscula*, olim ea figura literarum erat, qualem in numis, et antiquis inscriptionibus videmus, *maiuscula* omnis, quae et *quadrata initialis*, *et capitalis* dicitur (Scal. in Euseb.) in officinis typographicis vulgo *Versalis* vocatur; quod in versuum, et periodorum initiis adhiberi solet. Cuius formae antiquissimi etiam codices in Italia, et alibi supersunt, scripti ante, quam barbarae gentes cultissimas Imperii Romani regiones occuparent. *Minor*, *vel minuscula* scriptura, quam vulgarem, et currentem dicunt, velocitatis causa assumta est, adiuvante barbarorum depravatione: eaque postmodum, quod commoda erat, et libri omnes scripti sunt, et arte Typographica inventa typis expressi. Nihil autem minuta haec scriptura singulare habet, aut proprium in Orthographiam, sed ut vices maiusculae, et antiquae gerit, ita quoque legibus illius continetur.

Nota. 2) In maiori scriptura olim non opus erat hac quaestione: *quando? quo loco? etc. literae maiusculae adhibendae?* quia uniformes erant literae, quibus propria, communia, prima, media, honorata, inhonorata scribebantur. Postquam vero maiuscula illa, et quasi semibarbara scribendi ratio assumta fuit; non tamen plane maioribus literis abstinuerunt, a principio maioris cuiusdam sensus, seu tractationis, ita applicuere, ut prima litera primae vocis ex iis maiuscula esset; deinde nomina propria virorum, feminarumque, et locorum, ab iis inchoabant; tandem eas principio singulorum in carmine versuum, post plures, ac fere omnes posuerunt. Sic fere in MSStis libris: sic in olim excusis est; nostra autem aetate, aut paullo ante, adiecta *honoris* ut aiunt, vocabula: *Imperator*, *Rex*, *Princeps*, *Consul*,

Rector, *Dux*, *Magister*. Angli omnem emphasim, etiam in adiectivis, aut verbis adeo maiusculis indicant literis. Aliqui omnia nomina substantiva more Germanorum maiusculis literis exarare volunt, ut pueri tanto facilius ea a reliquis partibus orationis distinguere possint. Cum totum hoc discrimen sit instituti recentioris, utamur ea in re ratione eorum, quos probari videmus, cum libertate, et in alios, qui aliud sequuntur, modestia. In historico tamen contextu plerique malunt scribere veteri more: *rex Darius*, *Scipio consul*, *etc.*

Nota 3. Literae maiusculae C. D. I. L. M. V. X. numericae dici possunt, cum ad exprimendos Romanis usurpatae fuerint numeros; et quidem C. 100. D. 500. I. 1. L. 50. M. 1000. V. 5. X. 10. designent. Maioribus quantitatibus exprimendis, adhiberi passim cernitur I. cum C. recte, et inverso coagmentatum, suntque radicales eiusmodi coagmentationes, IↃ. 500. CIↃ. 1000. IↃↃ. 5000. CCIↃↃ. 10,000. IↃↃↃ. 50,000. CCCIↃↃↃ. 100,000. quae iterari usque proximum radicalem numerum solent.

E probatis desumtum paradigma.

I. 1. II. 2. III. 3. IIII. 4. V. 5. VI. 6. VII. 7. VIII 8. VIIII. 9. X. 10. XIIII. 14. XVIIII. 19. XX. 20. XXX. 30 XXXX. 40. L. 50. LX. 60. LXXXX. 90. C. 100. CCCC. 400. D. IↃ. 500. IↃC. 600. IↃCCCC. 9000.

—

—

M. vel CIↃ. 1000. M. M. M. M. vel CIↃCIↃCIↃCIↃ. 4,000. IↃↃ. 5,000. IↃↃCIↃCIↃCIↃCIↃ. 9,000. CCIↃↃ. 10,000 CCIↃↃ. CCIↃↃCCIↃↃCCIↃↃ. 40,000. IↃↃↃ. 50,000. IↃↃↃCCIↃↃCCIↃↃCCIↃↃCCIↃↃIↃↃCIↃCIↃ.CIↃ 98000. CCCIↃↃↃ. 100,000.

Quaternarius numerus est, a cuius figura discessum est hodie, nunc enim sic IV. formamus. Antiqui fere semper, etiam restitutores literarum, simplicem figuram ita IIII. quadruplicabant. Sed nec scriptura IV. abhorret ab antiquitate: nam primo in lapidibus aliquibus occurrit, deinde etiam probatur per appellationes numerorum Romanas: *unde viginti*, *duodeviginti*. Inde observandum de 9. 19. 29. 40. 90. etc. quae hodie sic etiam scribuntur IX. XIX. XXIX. XL. XC. subtracto nimirum minore numero a maiore, cui praefigitur.

Quid observandum de I, et U?

Plerique has literas aliter pingunt, cum vocales sunt; aliter, si fuerint consonantes. Cum vocales sunt, figuram iis maiusculam tribuunt: I. et V. vel U: minusculam autem i, et u. Sed si consonantes sint, figuram illis maiusculam assignant J. et V. minusculam j. et v. Quicunque rationem habent antiquitatis, J. pro I. aut j pro i nunquam scribunt, formam enim illam J, j, ignorant monumenta vetera: hi itaque scribunt: IVLIUS, IVNIUS, POMPEIUS, non JULIUS, JUNIUS, POMPEJUS, etc. et minori forma: *iaceo*, *adiicio*, *eius*, *peior*, *etc.* non *jaceo*, *adjicio*, *ejus*, *pejor*: alii pronunciationis rationem habentes scribunt *JULIUS, POMPEJUS, conjicio, ejus. etc.* Quos etiam hodie in elegantissimis suis editionibus Stereotypis aemulatur *Petrus Didot*. Prior secta credit, se antiquitatem rectius sequi, posterior commoditatem legendi. Non magni per se refert, utram sectam amplectare, praesertim cum res sit admodum tenuis, in qua non multum laudis versetur. Maiore cura cavendum, ne duplex *i* per *y* aut *ij* scribatur, e. g. *Martij*, *Maji*, *aut May*, *sed Martii*, *Maii*, *etc.* Eodem modo, qui antiquitatem imitantur, abstinent nova forma U, et sola utuntur antiqua V. quae angulum acutum in parte ima habet; maiusculae enim, id est veteris Romanae scripturae una figura, V. fuit, sive ea vocalem, sive consonantem significaret, id quod ex numis, et inscriptionibus manifestum est: e. g. IVLIVS, FLAVIVS, IVVENTUTIS. In minore seu currente scriptura gemina forma V ad veterem faciem, et U connexionis causa, ut videtur, in usum est recepta, sed non pariter adhibentur ambae, nec semper ad eundem usum: v ab initio, u in medio, et fine literarum solent aliqui ponere et scribere *vt* pro ut, *iuuo* pro *iuvo*, *vva*, pro *uva*; alii ubique *u* in principio, et medio pro vocali, et consonante scribunt, v. g. *uiuus*, *uerus*, *una*, *unus*; alii denique ita scribunt, prout pronunciant, e. g. *uva*, *iuvo*, quae ratio scribendi lectionem vocabulorum latinorum faciliorem reddit, puerorum captui accommodatior; et nonnunquam etiam ambiguum vocum significatum explicat.

Quid de Diphthongis ae, et oe?

De Diphthongis ae, et oe quaeri solet, sint ne uno ductu coniungendae, an diversae, et simplices, ex quibus constant, separatim apponendae; ordinarie separatim ponuntur, rarius contrahuntur. In maiuscula, et Romana scriptura semper dividendae diphthongi AE, et OE, ac eliminanda Figura Æ, tanquam ignota antiquitati. In minuscula autem scriptura, sive currente, qua connexio, ae, oe olim sub tempus restitutarum literarum haud dubie ex MSS. codicibus introducta, et conservata fuit, qui spatii imprimis angustia inducti diphthongos contrahunt, minus aberrare videntur.

Quid de literis z, th, k, y, ph, ch?

Literae hae, utpote Graecorum propriae, adeoque nonnisi in vocabulis origine Graecis adhibendae. Ob *euphoniam* tamen ch admittunt *pulcher, inchoo;* quae et Cicero probat.

Quid de abbreviatione vocum?

A vocibus abbreviandis, maxime in minuenda scriptura, quantum fieri potest abstinendum, e. g. *Dna. nra.* pro Domina nostra; talis scribendi ratio aenigma est lectoribus, et saepe numero post elapsum aliquod temporis intervallum ipsis etiam scribis. Neque tamen reiiciendae sunt *abbreviationes, et abrumpendae quaedam formulae,* quibus veterum libri pleni sunt. Sunt etiam aevo nostro tria quaedam scribendi compendia.

Nota 1. Veteres Romani in initialibus literis multa abbreviare solebant. Erat apud eos circa praescribendas; vel paucioribus literis notandas voces studium necessarium: quod partim pro voluntate cuiusque fiebat; partim usu publico, et observatione communi. Imprimis, qui in senatu aderant, scribendo ut celeriter comprehenderent quaedam verba, atque nomina ex communi consensu primis literis notabant: qua arte Ciceronis orationem pro Milone, aliam ab ea, quae hodie legitur, exceptam esse quae adhuc suo tempore exstaret, *Pedianus* est auctor. Excelluit hac arte deliciae generis humani *Titus Imperator*, affirmatque Svetonius l. 3. *notis excipere velocissi-*

2*

me solitum. Inventionem hanc literariam celeripedis, ut Ausonius loquitur, *Compendii Ciceroni* quidam, alii libero eius *Tironi*, alii etiam *Senecae* tribuunt. Sed antiquiorem Seneca notarum originem adducit in Historia Romana *Dio Cassius L.* 55. „*Maecenas*, inquit, *primus ad celeritatem scribendi notas quasdam excogitavit literarum, quam rem Aquilae liberti ministerio multos docuit.* Elegans exstat Ausonii Poëtae carmen ad Notarium velocissime excipientem, et punctis quibusdam voces omnes, quas audiebat, adnotantem, ut dubitari omnino non possit artem illam veteribus usitatissimam fuisse, quae utinam (magno certe humani generis bono) revocari posset!!! XVII. seculo ars haec in Anglia novo studio coli coepit; prodiverunt hac in re varia systemata, donec *Samuel Taylor* systema suum universale Stenographiae undecim annis meditatum, usuque longiore comprobatum ad indolem linguae Anglicae accomodatum 1788. in lucem ederet. In Gallia idem systema 1794. prodivit auctore *Th. P. Bertino*, viro eruditissimo; qui complures annos in Anglia moratus, ipsiusque Taylori disciplina institutus illud sermoni Gallico aptatum Parisiis vulgavit. Latinae etiam linguae accomodatum Pestini 1802. prodivit sub tit. *Systema Generale Stenographiae Samuelis Taylor Professoris Oxoniensis ad linguam Latinam accomodavit I. C. Danzer Centurio Rei Castrametatoriae in exercitu Caesareo - Regio Pestini.* 1802.

Nota. 2. Omnes veterum notas, quae etiam *sigla*, vel *siglae*, pro *sigillae*, aut *singulae* scil. *literae* vocabantur, et in nominibus, praenominibus, legibus publicis Pontificum, aliisque plurimis monumentis, Historiarum, Iurisque civilis libris hodiedum complures reperiuntur, comprehendere infinitum esset. Exstat M. Valerii Probi Grammatici, qui aetate Hadriani Imperatoris vixit, *libellus de notis Romanorum interpretandis. Item: Inscriptiones Gruteri, Sponii, Reinesii, Nienporti, et Fabretti* praeter diversa *Lexica* de breviata veterum scriptura tractantes.

Quae compendia scribendi apud veteres, et aevo nostro usitatiora?

Ad faciliorem veterum Scriptorum lectionem reddendam iuvat epitomen eorum subiungere.

I. COMPENDIA SCRIBENDI APUD VETERES ROMANOS.

A.

A. *Aulus*, *Anno*, *Auctore*.
A. A. A. F. F. *auro*, *argento*, *aere*, *flando*, *feriundo*.
AED. *Aedes*, *Aedilis*.
AED. CUR. *Aedilis Curulis*.
AED. PL. *Aedilis plebis*.
AEL. *Aelius*.
AEM. *Aemilius*.
AP. *Appius praenomen Claudiorum*.
AVG. *Augustus v. Augur*.
AVG. L. *Augusti Libert.*
AVGG. *Augusti duo*.
AVGGG. *Augusti tres*.
A. P. R. C. *Anno post Romam conditam*.
A. V. C. *Anno Urbis conditae*.
AVR. *Aurelius*.
A. L. V. S. *Animo libente votum solvit*.

B.

B. *Balbus*, *Brutus* - *bonus*.
BB. *Bene*, *bene*, id est: *optime*.
B. D. S. M. *Bene de se merenti*.
B. M. *bonae*, *beatae memoriae*.
BE. *Beneficium*.
B. M. F. *Bene merenti fecit*.

C.

C. *Caius*, *Civis*, *cohors*, *colonia*, *coniux*, *vel centum*.
CAES. *Caesar*.
C. F. *Caii filius*.
CAL. *Calendae*.
CL. *Claudius*.
C. L. *Caii libertus*.
C. N. *Caii Nepos*.
CONS. *Consiliarius*, *vel Consularis*.
COL. *Collega*, *vel Colonia*.
CORN. *Cornelius*.
COS. DES. *Consul designatus*.
COS. *Consul*.
COSS. *Consules*.
C. R. *Civis Romanus*.
CUR. *Curio*, *vel Curator*.

D.

D. *Decimus*, praenomen, vel *decurio*, *vel domo*, *vel divus.*
D. D. *Dono dedit*, *vel Deo dicavit*, *vel Decreto Decurionum.*
D. D. D. *Dono dedit*, *dicavit*, *vel do, dico*, *dedico.*
DEC. *Decius.*
DES. *Designatus.*
DICT. *Dictator.*
D. M. *Dolo Malo*, *vel DIS Manibus.*
D. M. S. *DIS Manibus sacrum.*
DICT. PERT. *Dictator perpetuus.*
D. M. S. *Dis inferis Manibus sacrum.*
Eiusmodi literas Romani semper praemittebant sepulchris, quae Diis inferis dicata erant.
D. S. B. M. *De se bene merito.*
D. S. I. F. *De sua impensa fecit.*
DRUS. *Drusus.*
D. S. D. *De suo dedit.*
D. S. P. *De suo posuit*, *vel de sua pecunia.*

E.

E. R. *Eques Romanus.*
E. O. *Equester Ordo.*
Ex A. PU. *Ex auctoritate publica.*
Ex D. D. *Ex decreto Decurionum.*
Ex S. C. *Ex senatus consulto.*
Ex V. *Ex voto vel visu.*

F.

F. vel FIL. *Filius.*
F. *Fecit.*
F. F. *Fecit*, *fundavit*, *fabricari fecit.*
FAB. *Fabianus.*
F. F. F. *Felix*, *faustum*, *fortunatum.*
F. C. *Faciendum curavit.*
FABR. *Fabricius.*
FEBR. *Februarius.*
F. I. *Fieri iussit.*
F. H. F. *Fieri heredes fecerunt.*
Fl. *Fluvius*, *vel flumen.*
FUL. *Fulvius.*

G.

G. *Gellius*, *Gaius*, *vel Gemina.*
GERM. *Germanicus.*
G. P. R. *Genio Populi Romani.*
GRAC. *Gracchus.*

H.

H. *Heres*, *vel honorem.*
H. S. E. *Hic situs est.*
H. S. vel HS. *Sestertium.*

I.

IIS. *Sestertius.*
ID. *Idus.*
IAN. *Ianuarius.*
IAN. CLU. *Ianum clusit vel clausit.*
IMP. *Imperator.*
I. S. S. *Infrascripta sunt.*
I. O. M. *Iovi optimo maximo.*
IUL. *Julius.*

K.

K. *Calendae, vel caput legis.*
KAL. *Calendae vel Kalendae.*

L.

L. *Lucius, vel Lex.*
L. AG. *Lex Agraria.*
LEG. *Legatus vel legio.*
LEP. *Lepidus.*
L. AN. *Lucius Annius.*
L. CIN. *Lex Cinica.*
L. F. *Lucii filius.*
L. L. *Lucii Libertus.*
LLS. *Sestertius.*
LUD. SAEC. F. *Ludos saeculares fecit.*
L. P. *Libens posuit.*
L. S. *Libens solvit.*

M.

M. *Marcus, monumentum, miles.*
M. *Manius.*
M. *Magister, Magistratus.*
MAM. *Mamercus.*
MAN. *Manlius.*
MAX. *Maximus.*
MET. *Mettius.*
MIL. *Miles.*
MON. *Monumentum, Moneta.*
M. P. II. *Millia passuum duo.*
M. C. T. *Marcus Tullius Cicero.*
MUN. *Municipium.*

N.

N. *Natus, vel nepos, vel Numerus, numero, nummum, nomine, noster.*
N. C. *Nobilissimus Caesar.*
NOB. *Nobilissimus.*
NON. *Nonae.*

O.

OB. S. C. *Ob servatos Cives.*
O. P. *Optimo Principi.*
O. M. *Optimo maximo.*
OPT. *Optimo.*

P.

P. *Publius, vel posuit.*
P. P. *Pater Patriae.*
P. F. *Publii filius, vel publice fecit.*
P. F. P. N. *Publii filius, Publii nepos.*
P. C. *Patres conscripti.*

P. R. *Populus Romanus.*
P. R. C. *Post Romam conditam.*
P. F. *Pius felix.*
P. S. *Plebiscitum, vel pecunia sua.*
PROC. vel PROCOS. *Proconsul.*
P. M. *Pontifex maximus.*
PR. *Praetor, vel Praefectus.*
PRAEF. *Praefectus.*
PR. PR. *Praefectus Praetorii.*
PU. T. *Publica tribu.*

Q.

Q. *Quintus, Quaestor, Quinquennalitius.*
Q. F. Q. N. *Quinti filius; Quinti Nepos.*

R.

R. *Recta, retro, rei, Romanus.*
R. P. vel RESP. *Respublica, vel retro pedes.*
RO. *Roma, Romanus.*
RUF. *Rufus.*

S.

S. *Salutem, sacrum, sextus, solvit.*
S. D. *Salutem dicit.*
S. P. D. *Salutem plurimam dicit.*
S. C. vel SC. *Senatus consultum.*
SER. *Servius.*
SEP. *Septimus.*
SEX. *Sextus praenom.*
SEC. ORB. *Securitas Orbis.*
S. P. Q. R. *Senatus populusque Romanus.*
S. P. Q. S. *Sibi Posterisque suis.*
S. V. B. E. E. Q. V. *Si vales, bene est, ego quidem valeo.* Formula initialis, qua Romani fere suis in Epistolis utebantur.
SS. Sestertius.
SYL. *Sylla.*
S. E. T. L. *Sit ei terra levis.* Votum solenne pro sepultis ex superstitione Gentilium.
SP. *Spurius.*
S. L. M. *Solvi libens merito.*
STIP. *Stipendium.*

T.

T. *Titus, Tribunus.*
T. C. *Testamenti Causa.*
TER. *Terentius.*
T. F. *Testamenta fecit, Titulum fecit.*
TI. vel TIB. *Tiberius.*
TAR. *Tarquinius.*
TR. MIL. *Tribunus Militum.*
TR. PL. *Tribunus plebis.*
TR. POT. *Tribunitia potestate.*
TUL. *Tullius.*

VAL. *Valerius.*
VET. *Veteranus.*
VIB. *Vibius.*
VOP. *Vopiscus.*

Nota. Nonnunquam pro literis signa numerorum ponuntur: e. g.

IIVIR. *Duumvir.*
IIIVIR. *Triumvir, Trevir.*
VIVIR. *Sevir.*
VIIVIR EPUL. *Septemvir Epularum.*
III. COS. *Tertium Consul.*
XII. Millia passuum: i. e. *duodecies centena millia* 1200000.

Nota. 2. Occurrunt saepius in recentioribus etiam scriptoribus quaedam scribendi compendia, quorum usitatiora sunt sequentia:

A.

A. *Annus vel Anno.*
A. O. C. *Ab orbe condito, vel Anno orbis conditi.*
A. C. *Anno Christi.*
A. R. S. *Anno reparatae salutis.*
A. M. *Anno mundi.*
A. A. *Auditores, Adversarii.*
A. A. *Archidux Austriae.*
AA. LL. MAG. *Artium Liberalium Magister.*
A. B. *Aurea Bulla.*
A. C. *Augustana Confessio.*
A. P. *Auctoritate publica.*
A. S. *Apostolica Sedes.*

B.

B. *Beatus, Benefactor.*
B. M. *Bene merenti, bonae memoriae, beatae memoriae.*
B. V. M. *Beatissima Virgo Maria.*
B. F. *Bona Fide.*
B. L. *Benevole lector.*

C.

C. *Candidatus, Comes, canone, capite.*
C. M. *Caesarea Maiestas.*
C. I. *Codicis Iustiniani.*
C. P. *Comes Palatinus.*
C. V. *Celsitudo vestra.*

D.

D. *Quingenti;* 500.
D. *Divus, Doctor, Dominus.*
D. N. *Dominus Noster.*

D. N. I. C. *Dominus Noster Iesus Christus.*
D. O. M. *Deo optimo maximo.*
D. vel DI. *Digesta.*

E.

Equ. R. *Eques Romanus.*
E. V. P. *Ex voto posuit.*

F.

F. C. *Felix, Constans.*
F. M. *Felicis memoriae.*

H.

H. C. *Helvetica Confessio.*
H. L. q. u. *Horis, locoque consvetis.*

I.

I. Ctus. *Iuris consultus.*
I. C. *Iesus Christus, Ius Civile, Canonicum.*
I. D. *Iure dotium.*
I. N. D. vel I. *In nomine Domini, vel Iesu.*
I. N. R. I. *Iezus Nazarenus Rex Iudaeorum.*
I. V. D. *Iuris utriusque Doctor.*
I. P. *Ius publicum.*
I. V. L. *Iuris utriusque licentiatus.*

L.

L. *Licentiatus, Lex.*
L. B. *Lector benevole, Liber Baro.*
L. S. *Loco Sigilli.*
L. L. *Latina lingua, vel leges.*

M.

M. *Magister.*
M. D. *Medicinae Doctor.*
M. S. *Manuscriptum.*
M. C. *Memoriae Causa.*

N.

N. *Nomen, numerus, nota.*
N. N. *Nomen nescio.*
N. B. *Nota bene.*
N. T. *Novum Testamentum.*
Not. Pub. Caes. *Notarius publicus Caesareus.*
N. A. *Notarius Apostolicus.*

O.

O. C. *Olympiade centesima.*
O. M. *Optimus, maximus.*
O. S. B. *Ordinis Sancti Benedicti.*
O. S. F. *Ordinis S. Francisci.*

P.

P. *Pontifex, Princeps, Petrus, Pater.*

P. S. *Postscriptum.*
P. C. *Patres conscripti.*
P. L. *Poëta Laureatus.*
P. M. *Pontifex maximus.*
P. P. *Professor publicus.*

Q.

Q. B. F. F. Q. S. *Quod bonum felix faustumque sit.*
Q. D. B. V. *Quod Deus bene vertat.*
Q. B. V. *Quod bene vertat.*
Q. E. D. *Quod erat demonstrandum.*
Formula Mathematicis solennis.

R.

R. M. *Regia Maiestas.*
R. I. S. A. *Romanorum Imperator semper Augustus.*
R. P. *Respublica.*

S.

S. C. M. *Sacra Caesarea Maiestas.*
CC. vel SCT. *Senatus Consultum.*
S. R. E. Card. *Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis.*
S. R. I. *Sacri Romani Imperii.*
SS. *Theol. D. Sacro Sanctae Theologiae Doctor.*
S. T. *Salvo titulo.*
S. D. N. *Sanctissimus Dominus noster.*
S. I. *Societas Iesu.*
S. P. *Scholae Piae.*

V.

V. C. *Vir Clarissimus.*
V. T. *Vetus Testamentum.*
b. m. *Bonae memoriae.*
c. *caput.*
etc. etc. *et cetera.*
i. e. *id est.*
l. c. *loco citato.*
l. *liber.*
p. m. *piae memoriae.*
p. *pagina.*
sc. *scilicet.*
Vid. *vide*, *vel videatur.*
e. g. *exempli gratia.*
h. e. *hoc est.*
h. t. *hoc tempore.*
p. t. *praesenti tempore*, seu ut minus latine dicam, *pro tempore.*
m. ppr. *manu propria.*
v. g. *verbi gratia.*

Nota. 1. Millenae eiusmodi *abbreviationes*, *et abrumpendi formulae* reperiuntur in recentioribus etiam scriptoribus, quae in stilo puriore locum non habent.

2) Litera geminata pluralem numerum designat, ut Coss. *Consules*, seqq. *sequentibus.* Nonnunquam su-

perlativum ut BB. *bene*, *i. e. optime*. FF. *fortissimi*, *felicissimi*. MM. *meritissimo*, *malus malus*, scil. *pessimus*. *Interdum significat duos*, *triplicata tres* e. g. CAESS. *Caesares duo*; CAESSS. *Caesares tres*.

3) Omnis abbreviatura post se requirit punctum, rectius ergo scribitur M. S. vel M. SS. quam MSS. i. e. manuscripta S. C. i. e. Senatus consultum. Imo et post numeros (hi enim sunt abbreviaturae) ponendum esse punctum svadet Heumannus, e. g. A. 1440. inventa est ars typographica a Ioanne Guttenberg.

4) Si angustia spatii cogat vocem aliquam abrumpere, id post unam vel duas consonantes fieri, et non duo, sed unum postremae consonanti punctum adiungi debet ut: *Dissert.* non *Disse.* aut *Dissert*: *pro Dissertatio*. *Praef*. *Praefatio*.

5) Inversae literae notant apud Romanos nomina feminarum ut: Ɔ. *Caia*, *coniux*, *conliberta*, Ⅎ. *Familia*. W. *Marca*.

Quae notae praecipuae interpunctionum apud Latinos?

1. (, Comma, ut: *Quod cito fit*, *male fit*.
2. (:) Colon seu duo puncta, ut: *Qualis Rex*: *talis grex*.
3. (;) Comma cum puncto, vel semi colon, vulgo media nota. *Est haec non scripta*; *sed nota lex* etc.
4. (.) Punctum. *Initium sapientiae timor Domini*.
5. (?) Signum Interrogationis. *Vita quid est*? *labor est*.
6. (!) Signum Exclamationis. *O tempora o mores!*
7. () Parenthesis. *In referenda gratia* (si modo Hesiodo credimus) *debemus imitari agros fertiles*, *qui multo plus adferunt*; *quam acceperunt*.
8. (*) Asteriscus vocabulum vel sententiam e contextu sermonis dilucidat. Exempla huius signi in hoc ipso opusculo habes.

9. (') Apostrophus finalem literam aut syllabam suppressam esse indicat, ut: *nostin' viden'* pro nostine, videsne.

10. (¨) Diaeresis, ut: Poëma, *Phaëton*, *aër.* Signum tamen hoc exolescit.

11. (=vel-) Signum Divisionis, ut: *De-tra-ho*, *Romano-Catholicus.*

12. („) Signum Citationis, quod praefigitur aliunde petito sermoni.

13. (^) Signum Contractionis, ut: *Deûm pro Deorum.*

Nota. Usus harum interpunctionum est duplex: 1) Ut orationem reddant perspicuam tam legenti vel pronuncianti, quam audienti. 2) Ut inter legendum vel pronunciandum dent copiam spiritus reficiendi, ne continuatione deficiat.

Monitum. Quo interpungendi usum eo discant facilius tirones, sumant auctorem sive latinum sive vernacula lingua expressum, in quo se exerceant. Si male fuerit distinctus, eum emendent. Si recte, mutum habent praeceptorem, e quo pensum aliquod, interpunctionibus in descriptione nudatum, secundum datam normam iisdem iterum distinguant, distinctum vero cum ipso auctore conferant. Atque hac peculiari exercitatione tum domi, tum in scholis tentare iuvat. Quod vero ad signa haec interpunctionum pronunciatione, seu sermone exprimenda attinet: Magister dabit operam, ut ea tam in legendis auctoribus, quam in referendis pensis et thematibus discipuli accurate exprimere discant; quo sic tono naturali mature assuefiant. Experientia enim docet errores eiusmodi, postquam invaluerint, vix ac ne vix quidem emendari posse. Quapropter crebre in lectione exercendi. Plenior institutio tam de ratione interpungendi, quam de reliquis, quae ad Orthographiam pertinent, habetur in Orthographia linguae latinae in usum Scholarum Budae, 1806. edita.

Monitum. Etsi Regulae I. de generibus, II. de declinationibus nominum, III. de praeteritis et supinis verborum iam Parte II. Instit. Gram. expositae fuerunt; easdem tamen et hic sine notis, quae Part. II. singulis versibus subiiciuntur, adiicere visum est: ut dubitaturis fortasse in promptu esse possint.

I.

VERSUS MEMORIALES

EMMANUELIS ALVARI.

De generibus Nominum,

quae ex significatione cognoscuntur.

1. Quae maribus solum tribuuntur, mascula sunto.
2. Mascula censentur specie depicta virili.
3. Et quibus appositum tantum tribuisse virile
4. Credibile est veteres, ut latro, praesul, et hospes.
5. Femineum dices, quod femina sola reposcit.
6. Iungito femineis muliebri praedita forma.
7. Quaeque adiectivum tantum muliebre requirunt.
8. Quae neutro apposito gaudent, neutralia sunto.
9. Est commune duum, sexum quod claudit utrumque.
10. Articulo gemino: veluti bos fortis, et hostis,
11. Antistes, iuvenis, vates, patruelis et infans.
12. Affinis, miles, cum cive, cliente, sacerdos,
13. Et comes, atque canis, sus, dux, auctorque, parensque,
14. Municipi coniux, adolescens, augur adhaerent.
15. Est commune trium, generi quod convenit omni.
16. Pro maribus pugnant: menses, montes fluviique.
17. Insula feminea, urbs, regio cum nave poësis.
18. Feminea est arbor: foliis oleaster amarus
19. Mas est. Hoc acer, atque siler, cum subere robur.
20. Um neutris iunges, hominum si propria demas.
21. A plurale genus neutrum sibi poscit ubique.
22. Nomen in I maribus, si sit plurale, reserva.
23. Trade notas neutri; et vocem pro nomine sumtam.
24. Et verbum quodvis nuda pro voce repostum.

De Generibus Nominum,

quae ex positione, sive terminatione cognoscuntur.

25. Femineum a primae est: veluti panthera, sagitta.

26. Adria mas aequor, cui iunge cometa, planeta.
27. Hic mammona petit. Pascha hoc, cui iungito manna.
28. Nomen in A ternae neutrum est, ceu stigma, toreuma.
29. E latiale petit neutrum, ut praesepe, monile.
30. Femineum est Aloë, Rhodopeque et cetera Graeca.
31. I neutris tribue, O maribus ceu: pugio, gummi.
32. Est IO femineum, fuerit si corporis expers.
33. Cui caro iungatur, coenatio, portio, quodque
34. Desinit in Do, Go, Neutris adscribito pondo.
35. Harpago, cudo, ordo mas, udo, cardo, ligoque.
36. U, C, D, da neutris, velut id, cum lacte, geluque.
37. L. T. sit neutrum. Hic mugil, sal, solque, reposcunt.
38. An, In, On, mas. Haec sindon, icon et aëdon.
39. Queis adde alcoinem. Neutris da cuncta secundae.
40. En dabitur neutris. Sed hymen, ren mascula sunto.
41. Et splen, atque lien, atagen cum pectine, lichen.
42. Postlat Ar neutrum, ceu par cum nectare bacchar.
43. Er maribus dona. Laver hoc cum tubere poscit.
44. Uber, iter, spinter, laser, cicer, atque papaver.
45. Ver, siser, atque piper, cum verbere necte cadaver.
46. Or maribus servit. Muliebris demitur arbor.
47. Accedunt neutris: cor, ador, cumque aequore, marmor.
48. Exigit Ur neutrum. Hic furfur, cum vulture turtur.
49. Femineum As; neutrum vas vasis, fasque, nefasque.
50. Mascula sunt elephas, adamas, as atque tiaras.
51. Cumque vade, ac reliquis, flectit quae prima Pelasgum.
52. Esto nomen in Es muliebre. Sed esto virile:
53 Limes, pes, fomes, termes, cum palmite trames.
54. Et gurges, merges, poples, cum cespite vepres,
55. Et paries, stipesque, meri nomenque diei;
56. His Graecum primae, vel ternae iungito nomen.
57. Hippomanes neutris, panaces, cacoëthes adhaerent.
58. Is dato femineis. Mas sentis, piscis aqualis.
59. Anguis, tum fustis, tum callis, follis, et ensis.
60. Sic mensis, vectis, torris, glis, postis, et orbis.
61. Et sanguis, cenchris, collis, cum vomere cassis.
62. Mugilis, atque lapis, vermis, cum fasce canalis;
63. Unguis, tum cucumis, tum caulis, pulvis, et axis:
64. Nis quoque finitum, ceu panis, et asse creata.
65. Mascula in Os sunto. Dos, cos muliebris, et arbos.

66. Da chaos, atque melos neutris, os, Argos, eposque.
67. Nomen in Us mas est, seu quartae, sive secundae.
68. Porticus, atque tribus muliebris, acusque, manusque.
69. Alvus, humus, vannus, colus, idus, carbasus, addes.
70. Et domus, et ficus pomum; mas morbus habetur.
71. Plurima in Os Graeca, Ausonii fecere Latina.
72. Quae maribus partim: ut prologus, paradisus, adhaerent;
73. Partim femineis: veluti diphthongus, eremus.
74. In neutris numera virus, pelagusque profundum.
75. Postulat Us neutrum, quoties id tertia flectit.
76. Hic lepus, et mus, pus Graecum, compostaque iunges.
77. Sit tibi femineum lagopus herba, volucris.
78. Cum tellure palus, subscus, pulcherrima virtus;
79. Atque salus, pecudisque pecus, quibus additur incus.
80. Quaeque sibi servus, iuvenisque, senexque iugarunt.
81. Aes tibi sit neutrum. Laus, fraus, muliebria sunto.
82. S dato femineis, si consona ponitur ante.
83. Esto virile rudens, fons, pons, seps, lethifer anguis.
84. Mons, dens, atque chalybs, assis, quibus addito partes.
85. Et polysyllaba ps, forceps dematur adunca.
86. X dato femineis. Sed eryx, grex, mascula sunto.
87. Et spadyx, bombyx vermis, cum fornice, phoenix.
88. Atque calix, coccix, et oryx, varyxque, calyxque.
89. Praeterea volvox, quicunx, septunxque, deunxque.
90. Ax, ex finitum polysyllabon, esto virile.
91. Femineum thomex, halex, cum smilace fornax.
92. Et forfex, vibex, carex, adiunge suppellex.
93. Mobile fit fixum, si fixum mente subaudis.
94. Unde genus capit, ut: sonipes, oriensque tonansque.
95. Mobile fit neutrum, ni fixum mente subaudis,
96. Respicimus fines, non significata frequenter.
97. Zeugma, Reate ideo petit hoc, cum Tibure Cere.
98. Hoc praeneste, Hispal. Sulmo hic uberrimus undis.
99. Martius hic Narbo, braccatae gloria gentis.
100. Haec damnata diu Romanis Allia fastis.
101. Respicit interdum nomen generale Poëta:
102. Unde sibi merito genus inferiora capessunt:
103. Sic volucrem sequitur bubo, sic flumen Iader.

De nominibus incerti Generis.

104. Haec modo femineis, maribus modo iuncta videbis:
105. Grossus, adeps, atomus, limax, cum torque phaselus,
106. Scrobs, serpens, finis cum corbe, diesque rubusque.
107. Postulat hic aut hoc merito nar, vulgus et anxur.

Nomina masculina apud Oratores, quibus Poëtae interdum etiam genere muliebri utuntur.

108. Mascula bubo, specus, cortex cum pumice, pulvis.
109. Et calx pars pedis, atque silex, cum margo palumbes.
110. Proferet haec caute iuvenis muliebria vates.

Nomina fere feminina apud Oratores; et interdum masculina, praecipue apud Poëtas.

111. Est muliebre animans, volucris, cum stirpe cupido;
112. Sardonichen comitatur onyx, grus, clunis, et ales.
113. Cum talpa linter, cum dama, linxque, penusque.
114. Haec maribus tribues, cinget cum tempora laurus.
115. Hunc iubarem, hunc frontem, hunc pinum, nimiumque vetusta
116. Pacuvii proavis atavisque utenda relinque.

De Genere Epicaeno.

117. Articulo sexum quae complectuntur utrumque.
118. Uno Epicaena vocant Graii, promiscua nostri.

II.

VERSUS MEMORIALES

EMMANUELIS ALVARI.

De declinationibus nominum latinorum.

Regulae generales.

1. Nomina composita inflectes ad simplicis instar;
2. Ast in compositis flectes tantummodo rectum;
3. Si recti duo sint, tunc declinabis utrumque.
4. Sunt neutris similes tres casus: nempe vocandi,
5. Primus cum quarto. Similem pluralia sexto
6. Tertium habent casum. Primo par quintus habetur.
7. A Recto semper Genitivus flectitur: omnes
8. Obliquos reliquos Genitivi inflexio format.

Prima Declinatio.

9. Rectus *a* sed Genitivus in *ae* fit flexio prima.
10. Patrium in *as* veteres, *ai* vertere Poëtae.
11. Tertius et sextus dant *is*; *equa*, *filia*, *mula*.
12. *Nata*, *Dea et Liberta*, *duae* dant *abus*, *et ambae.*

Secunda Declinatio.

13. Altera *us*, *um* facit, aut *er*, *ir*, *ur*. Sed Patrius exit
14. Semper in *i*. Verum *ius* habent: *uter*, *ullus et unus.*
15. *Alteruter*, *nullus*, *neuter*, tum *solus*, *uterque*,
16. *Alterius*, cum *totius*, Genitivus *alius*.
17. In Dandi casu dant *i*, pronominis instar.

18. Sunt rectus quintusque pares: *us* habentia rectum,
19. Hoc in *e* commutant: Deus, unus: semper et idem.
20. Filius *i*, poscitque meus: cui propria iunges.

Tertia Declinatio.

21. Tertia multimodis inflexio finibus exit;
22. At semper genitivus in *is*, sermonis ovilis.
23. Usus multiplices formas, et Lexica dicent.

Accusativus Tertiae.

EM.

24. Terminat *em* quartus, testem pro teste capesse;
25. *Im* contra faciunt: *buris*, *vis*, *pelvis*, *amussis*.
26. Et *cucumis*, *sitis*, *et ravis*, *tussi* adde *securim*.
27. Hispalis, et Tyberis, Zeuxis, et propria quaedam.
28. His iunges *Tigrim*, *Syrtim*, quibus adde *Charybdim*.

EM. et IM.

29. *Em* dat et *Im* *navis*, *clavis*, *sementis* *aqualis*,
30. Et *puppis*, *febris*, *turris*, *cum cannabe*, *restis*.

Ablativus Tertiae.

31. Sextus *e* finitur, *Cicerone*, *ac Caesare* teste.
32. *I* vero cupiunt, quibus *im* tantummodo quarto est;
33. Adiectiva *is*, aut *e*, vel *er*; tum nomina mensis:
34. *Mugilis* atque memor, *strigilis*, quibus adde *canalis*.
35. Et quae neutra petunt *e*, vel *al*, vel *ar*; i quoque poscunt.
36. Sed dat *e far*, *baccharque*, *iubar*, cumque hepate, nectar.
37. Mobile vult *e*, vel *i*, generi quod convenit omni;
38. Deme *senex*, *puberque bipes*, *cum paupere sospes*.
39. *Ens*, aut *ans* mediusque gradus per *e* crebrius exit.
40. *Huc vectis*, *postis*, *classis*, fert *anguis et unguis*,
41. *Imber*, *et ignis*, *et amnis*, *avis*, *cum fine supellex*,
42. Et *victrix*, *ultrix*, *et rus*, *civisque tridensque*.
43. *Fixaque* mobilium quaedam retinentia formam.
44. *I* donant sexto: proprium per *e* rectius effer.
45. Praeter *e* nil sexto poscunt, *volucrisque rudisque*.

Nominativus Pluralis.

46. Rectus pluralis cupit *es*, sic flecte *parentes*.
47. Semper *a* neutra volunt, si sextus donat *e* tantum;
48. Ast *ia* queis *e* vel *i*, sic vectigalia dices.
49. Deme gradum medium, ut *maiora et plura*, *vetusque*.

Genitivus Pluralis.

50. Pluralis patrius facit *um*, sic flectito florum.
51. Contra in *ium*, quibus *i* postrema est syllaba sexti,
52. Aut *e* vel *i*; praeter *vetus et memor*, *uber*, *inopsque*,
53. *Degener*, *et celer*, *et dives*, *supplexque parensque*,
54. Cum gradibus mediis; sed *ium*, *plus*, *pluris* habebit.
55. *Es et is*, optat *ium* patrio, et pari syllaba recto.
56. *Um* retinent: *vates*, *panis*, *iuvenisque*, *canisque*.
57. Nomina *ium* faciunt, quae duplex consona finit.
58. Ut: *mons*, *urbs*, superadde *uter samnisque*, *cohorsque*.
59. *Et linter*, *dos*, *cos*, *faux*, *vas*, *caro*, *venter et alpes*,
60. *Et glis*, *lis*, *as*, *mas*, *nix*, *nox*, *os*, *lar*, *lariumque*.
61. *Um* dat, *iumque*, simul Genitivus syncopa et usus.

Dativus et Ablativus Pluralis.

62. Tertius est in *ibus*, bobus, seu dicito *bubus*.

Quarta Declinatio.

Singularis.

63. Quarta dat *us*, dat et *u*; donec plurale videbis,
64. *U* non mutabis; sed *ui* sibi tertius optat,
65. *Um* quartus; recto par quintus, sextus in *u* fit.

Pluraliter.

66. Primus pluralis, quartus, quintusque per *us* fit.
67. Dant *ua* neutra per *u*, tonitru, cornuque genuque.
68. Patrius optat *uum*; cum terno sextus *ibus* dat.
69. *Arcus*, *ubus*, *specus*, *atque lacus partusque*, *requirit*.
70. Verum quaestus *ibus*, *vel ubus*, *portusque veruque*.

Quinta Declinatio.

Singulariter.

71. Quintae rectus in *es*, ut spes, genitivus in *ei*
72. Se format vel in *e*. Requies vult *etis et ei.*
73. Tertius est similis patrio; sed quartus in *em* fit.
74. Est primo quintus similis, sed *e* sextus habebit.

Pluraliter.

75. Primus cum quarto, et quinto pluraliter *es* dant:
76. *Erum* vult patrius: cum sexto tertius *ebus*.

Syncopae.

77. Pluralem patrium decurtat syncopa Graeca.
78. Pro *veprium veprum* dices, cum carmina panges.

Anomala (seu Defectiva.)

I. Numero.

A) *in genere.*

79. Propria vix unquam numero flectenda secundo,
80. Ni careant primo: ni plures nominis exstent
81. Eiusdem: ni sint appellativa, minorque
82. In primo numero gravitas, aut emphasis adsit.
83. His iunges liquida, et frumenta, metalla, legumen.
84. Cum minerali herbas, et aromata, quaeque vel ulnis,
85. Vel libra venduntur; at hordea, balsama demes,
86. Vina, crocos, electra, sales, orichalca, lupinos,
87. Aera, fabas, et tura, pices, zizania, ceras,
88. Farraque cum pisis, et mella, papavera, avenas,
89. Rutas, malvas, musta: usus te plura docebit.

Anomala (seu Defectiva) Numero II.

B) *in Specie.*

1) *Masculina singularia tantum, aut raro pluralia.*

90. Mascula plurali quaedam spoliata leguntur:
91. Nempe fimus, sanguis, pudor, aër, portus et aether,
92. Hesperus, et cestus, limus, sopor, addito nemo.
93. Et vesper, muscus, viscus, prolesque diei,

2) *Feminina singularia tantum, aut raro pluralia.*

94. Posteriore carent numero muliebria: bilis,
95. Fama, lues, pituita, fames, fuga, gloria, tellus,
96. Alvus, humus, sitis, atque salus, pleps, talio, pubes,
97. Lux, cholera, et tabes, et pleraque nomina quintae,
98. Quaeque aliquod vitium, aut virtutem nomina signant.

3) *Neutra singularia, aut raro pluralia.*

99. Ver, pelagus, barathrum, viscum, nihilumque, penumque.
100. Lethum, iustitium, fel, coenum, vulgus, et aevum.
101. Manna, solum, virus, gluten, callumque, lutumque;
102. Adde gelu, tabum, solium, pus; fasque nefasque.

4) *Masculina pluralia, aut raro singularia.*

103. Mascula sunt quaedam numero contenta secundo:
104. Liberi, et annales, natales, atque penates.
105. Manes, et Lemures, fasti, proceresque, laresque,
106. Antes, cancelli, loculi, quibus addito ludos.
107. Et propria: ut Gabii, Locri, Veii, atque Philippi.

5) *Feminina pluralia, vel raro singularia.*

108. Feminea haec numero sunt despoliata priore:
109. Nundinae, et induciae, nonae, idus, atque calendae:
110. Copiae, et excubiae, grates, diraeque, genaeque,
111. Antiae, et exequiae, cunae, valvaeque minaeque,
112. Litterae, et inferiae, lactes, nugae, atque tenebrae,
113. Primitiae, insidiae, tricaeque, manubiae, opesque,
114. Vindiciae, thermae, gerrae, quibus adiice scopas,
115. Divitias, et suppetias, ac oppida multa.
116. Ut Thebae, et similes, quarum pars maxima Graiae.

6) *Neutra pluralia, vel raro singularia.*

117. Pluralem tantum numerum sponsalia poscunt,
118. Tempora cum castris, aestiva, cibaria rostra,
119. Cumque utensilibus, magalia, moenia, transtra,
120. Hibernis, sata, tesqua, iuga, et cunabula iunges:
121. Festa quoque, et ludos, et significantia libros.
122. His aliquas urbes adde, et numeralia plura.

II. Anomala Genere.

1) *Masculina in singulari, in plurali neutra.*

123 In numero primo sunt mascula nomina quaedam;
124. Neutra in plurali: sic baltea, balteus optat.

2) *Masculina in singulari, in plurali masculina, et neutra.*

125. Masculeum, neutrumque genus pluralia poscunt.
126. Sibilus, effectus, sensus, locus, acta, iocique.

3) *Feminina, et masculina in singulari, et neutra in plurali.*

127. Carbasus in numero plurali carbasa donat.
128. Sic genus admittit neutrum plurale supellex.

4) *Neutra singulari, plurali masculina, aut simul neutra.*

129. Mascula sunt numero, Coelum, Argosque secundo,
130. Sed rastra, et rastros, et frenos frenaque dices.

III. Anomala Declinatione.

131. Vas vasis terni est, vasorum vasa secundi,
132. Ordinis; at contra in plurali iugera terni,
133. Nonnullos casus ex ordine sumit utroque.

IV. Anomala (defectiva, seu inaequalia) casu.

134. Sunt quaedam unius casus, nonnulla duorum,
135. Quatuor, atque trium, ex usu discenda Magistro.
136. Inficias, natu, macti, tum macte requirit,
137. Absque Vocativo sunt adiectiva rogandi,
138. Cumque relativis pronomina signa negandi,
139. Partitiva, et queis patrius finitur in *ius*.
140. Quae nunquam variant casus, aptota vocantur.
141. Sic exspes, praestoque, nihil, nil, pondo, sinapi.
142. Atque instar, nauci, cum frugi, fasque nefasque.
143. Ac tot, quot cum compositis, opus atque necessum.

Adiectiva Deficientia.

144. Haec per *a* non formant neutrum plurale: bicuspis,
145. Immemor, atque vigil, perpes, praepesque, cicurque.
146. Ales, hebesque, teres, cum pauper, degener, uber,
147. Impuber, puber, locuples, pariterque tricuspis.
148. Dives, inops, memor, atque reses cum deside supplex.
149. Iunge bipes, sospesque, tripes, veges, atque superstes.

III.

VERSUS MEMORIALES
EMMANUELIS ALVARI.

De Praeteritis, et Supinis Verborum.

I.

Regulae Generales.

1. Simplicium leges ferme coniuncta sequuntur.
2. Hinc aliqua excipies, quorum meminisse iuvabit.
3. Cum geminat primam simplex, composta priorem
4. Praeteriti amittunt: praeter praecurro, repungo;
5. Quaeque sibi gignunt sto, do, cum poscere, disco.

Verba Praeterito, es simul Supino carentia.

6. Praeteritis quaecunque carent, spoliato supinis:
7. Ut: glisco, vergo, ferio, cum polleo, vado,
8. Ambigo cum satago, quaeso: quibus hisco, fatisco,
9. Et furit, et moeret, tum aveo, tum ringor, et aio,
10. Et vescor, liquor, medeor, reminiscor adauge:
11. Insuper a verbo seu nomine nata, tepesco,
12. Mitesco veluti, queis nomen ab incipiendo;
13. Aut certe capiunt a verbis, unde trahuntur.
14. His, demto esurio, iunges meditantia verba.

II.

Regulae Speciales.

Prima Coniugatio.

15. Praeteritum primae facit *avi*, *atumque* supino.
16. Ut neco: nam *necui nectum* sibi pignora servant,

17. At cubui, domui, crepui, vetuique supina.
18. Dant in *itum*, ut cubitum, haec tonui, sonuique sequuntur,
19. M cubo cum recipit tantum tibi tertia flectet:
20. Ast in praeteritis expungitur, atque supinis.
21. Dimicat *avi*, *atum*; micui nil amplius optat.
22. A fricui, frictum, secui deducito sectum.
23. A lavi, lotum, aut lautum, nec sperne lavatum.
24. Ex lavo compositum, ceu diluo, tertia poscit.
25. Potatum a poto seu potum flectito. Juvi.
26. A iuvo praeteritum tantum; sed ab adiuvo, *iutum*.
27. Dat plicui, plicitum: compostum poscit utrumque.
28. Supplicat *avi*, *atum*; replicoque et nomine nata,
29. Do, dedit atque datum poscit, compostaque primae,
30. Quae *venum*, *pessum*, *circum*que, *satis*que crearunt.
31. A sto flecte steti, statum, *stiti*, et inde profecta,
32. Atque *stitum* cupiunt, multo sed crebrius *atum*.

Secunda Conjugatio.

33. Altera praeteritis dat *ui*, dat *itum*que supinis.
34. Ut moneo, taceo; sed tostum torreo gignit.
35. Sorbeo cum sociis dat *ui*, tamen absque supino.
36. A doceo doctum, a teneo deducito tentum.
37. Censeo fert censum, mistum tibi misceo donat:
38. Neutrum, quod dat *ui*, timeoque carento supinis.
39. Poscit *itum* valeo, căreo, placeoque doletque.
40. Pareo cum iaceo, caleo, noceoque, licetque.
41. Dant *di*, *sum*, video, sedeo, cum prandeo, verum
42. S geminat sessum, stridi nil amplius optat:
43. Mordeo praeterito geminato flecte momordi,
44. Morsum; sic spondet, tondet, sic pendeo flectes.
45. Dat mansi, mansum; minui, sed praeminet optat.
46. Prominet, immineo, simul eminet absque supino.
47. Haereo dat *si*, *sum* cum suadet, mulcet et ardet:
48. Tergeo cum mulget, ridet, sed torqueo tortum.
49. Vult iubeo, iussi, iussum, ast indulgeo *si*, *tum*.
50. Urgeo *si* tantum, cum fulget, turget et alget.
51. Lugeo praeteritum luxi; luctumque supinum.
52. Luceo duntaxat luxi; sic frigeo, frixi.
53. Augeo praeterito facit auxi, auctumque supino.
54. *Evi*, *etum*, vieo, flet, net cum deleo, quaeque.

55. A pleo nascuntur, ceu repleo, suppleo, complet.
56. Civi sume citum; quartae sed pignora redde.
57. Nunc oleo dat *ui*, dat *itum*, compostaque odoris.
58. Quae servant sensum: si non, *evi*, effer, et *etum*:
59. Ast abolevit *itum* dat, fert adolevit, adultum.
60. Ex *veo*, fit *vi*, *tum*: a caveo deducito cautum.
61. A faveo, fautum; tantum conniveo *vi*, *xi*.
62. Et fervere, *bui*; sic langueo, languit optat.
63. Et paveo, pavi. Nil flaveo, liveo habebunt.
64. Audeo nunc ausus. Gavisus, gaudeo poscit.
65. Et solitus, soleo, solui tibi Crispe placebat.

Tertia Coniugatio.

IO.

66. Composita a specio, aut lacio dant *exit* et *ectum*.
67. Elicui, elicitum, a feci deducito factum.
68. A ieci, iactum. Dat fodi *s* dupplice fossum.
69. Vult fugi, fugitum; sapui, sapiive nec ultra.
70. Progreditur sapio. Cupio *ivi* gignit et *itum*.
71. Dat capio, cepi, captum: sed coepio priscum
72. Fert coepi, coeptum. A rapui deducito raptum.
73. Dat peperi, partum, pariturus, pignora quartae.
74. A quatio, cussi, cussum, composta tulere.

UO et BO.

75. Rite *uo* poscit *ui*, ac *utum*; sit diluo testis.
76. A ruo dic ruitum, sed *utum* dant pignora tantum.
77. A struxi, structum, a fluxi deducito fluxum.
78. Respuo nulla, luo, metuoque, pluoque supina.
79. Annuo cum sociis, batuo, ingruo, congruo gignunt.
80. Bo dat *bi*, dat *itum*; scabo, lambo carento supinis.
81. A scripsi, scriptum; a nupsi deducito nuptum.

CO.

82. Ici fert ictum. A duxi depromito ductum:
83. A parsi, parsum; geminat quoque parco, peperci.
84. Vinco cupit vici, victum. A dixi exige dictum.
85. SCO, *vi*, *tumque* petit; seu nosco, quiesco, suesco.
86. Agnitus, agnosco, cognosco iungitur illi.

87. Dat pasco, pastum: conquexi linque vetustis,
88. Ut disco, didici tantum: sic posco poposci,
89. Dispesco dat ui, pariter compescere solum.

DO.

90. DO *di*, *sum* gignit, veluti defendere cudo.
91. N tamen amittunt fundo, cum scindere, findo.
92. S geminat fissum, ac scissum. Dat pandere, pansum.
93. Tundo petit tutudi, tunsum; sed pignora tusum.
94. Sume cado, cecidi, casum, cape caedo, cecidi,
95. Caesum. Dat tentum, vel tensum, tendo, tetendi.
96. Pedo, pepedit habet. Pensum fert, pendo, pependi.
97. Tum rudo, tum sido, tum strido carento supinis.
98. Dant *si*, *sum* claudo, laedo, cum rodere trudo,
99. Divido cum plaudo, rado cum ludere. Vasi,
100. Ac vasum a vado capiunt sibi pignora tantum.
101. Cedo petit cessi, cessum facit inde supinum.

GO, GUO, HO.

102. Dant *xi*, *ctum* GO, GUO, ut: rego, plango, extinguo supinis;
103. N tamen abiiciunt stringo cum pingere, fingo.
104. Tango cupit tetigi, tactum. Egi, ago poscit et actum.
105. Sume pago, pepigi, pactum; cape pangere, panxi,
106. Olim etiam pegi, quod nunc composta reservant.
107. Dat legi, lectum; fregi dat frangere, fractum,
108. Negligit *exi*, *ectum*, cum intelligo, diligo poscit.
109. Prodigo, dego, *egi*; suxi, sugo absque supinis.
110. Dat pungo, pupugi, punctum; dant pignora ferme
111. Punxi. Vult *si*, *sum* spargo, cum mergere, tergo;
112. Dant *xi*, *xum* figo, frigo; caret ango supino.
113. A traxi tractum; a vexi deducito vectum.
114. Meio cupit minxi, minctumque, a mingere sumtum.

LO.

115. LO *lui*, atque *litum*. Consultum, consulo et altum
116. Fert alere; occultum facit occulo, sic colo cultum.
117. Ante carent cello, praecello, excello supinis.
118. Et volo cum sociis; sed falsum, fallo, fefelli.
119. Dic psallo, psalli tantum, cui iunge refelli;
120. Ast velli, vulsum, percello, perculit optat

121. Perculsum; pepuli, pulsum; dat sustulit, atque
122. Sublatum tollo; salli fert sallere, salsum.

MO, NO, PO, QUO.

123. MO per *ui* dat *itum*; tremo flectitur absque supino.
124. Dant *psi*, *ptum*, demo, promo cum sumere, como.
125. Emi fert emtum; premo, pressi, *s* duplice pressum.
126. Dat posui positum; genitum, genuisse reposcit.
127. Dat cecini cantum; *cinui* dant pignora *centum*.
128. A sino fit sivi, atque situm; dat sternere, stravi,
129. Ac stratum. Sprevi, spretum, dat spernere. Cerno
130. Crevi, sed cretum capiunt sibi pignora solum.
131. Dat temsi, temtum, temno, si legeris usquam.
132. Sed lino dat lini, livi, levique, litumque.
133. PO *psi*, *ptum*que petit. Strepo, sed strepui, strepitumque.
134. A rupi, ruptum. A coxi deducito coctum.
135. Linquo sibi liqui tantum: addunt pignora *lictum*.

RO, SO.

136. Quaero, quaesivi, quaesitum; curro, cucurri,
137. Cursum: tum verro, verri, versumque supino;
138. A gero dic gessi, gestum. Trivi a tero, tritum.
139. Ferre, tuli, latumque; uro dabit ussit et ustum.
140. A sero fit sevi, atque satum; *evi*, rustica proles
141. Atque *situm*. *Serui et sertum* fert cetera turba.
142. SO, *sivi*, *situm*que petit. Dat visere, visi,
143. Ac visum. Incesso, incessi, tamen absque supino.
144. Pinsitus, ac pistus, pinsusque a pinsuit exit.

TO, VO, XO.

145. *Xi*, *xum* dant plecto, flecto; sed xi, xuit et xum
146. Pecto ferunt, nectoque. Peto cupit *ivit et itum*.
147. Stertuit a sterto tantum; meto, messuit optat,
148. Ac messum *s* gemino. Misi dat mitto, supinum
149. *S* duplici missum. A verti deducito versum.
150. Sisto, stiti, statum; activum neutrale sequetur
151. Sto verbum, unde stiti, atque stitum sibi pignora sument.
152. A vixi, victum, a volvi deflecte volutum.
153. Texui amat texo, ac textum; solvique solutum,

154. *Ivi*, *itum*; ut: polio, fastidio quarta requirit.
155. Fert veni, ventum, venio; sepelire, sepultum.
156. Singultum, singultit amat, de amixit, amictum.
157. Ex pario natum per *ui* flectatur et *ertum*,
158. Comperio, reperique tamen *ri* format, et *ertum*.
159. Sancio dat sanxi, sanctum, quod format et *itum*.
160. Sentio vult *si*, *sum*. Sepsi dat sepio, septum.
161. Hausi fert haustum. Dat vinxi, vincio, vinctum.
162. Farcio dat farsi, fartum. Vult fulcio, fulsi
163. Ac fultum. Sarsi, sartum dat sarcio verbum.
164. Veneo fert venum, quod ferme veniit optat.
165. Dat salui, saltum; proles sibi vendicat *ultum*.

De Praeteritis et Supinis Verborum Deponentium.

166. Ex OR finitis activam fingito vocem;
167. Ut vereor, vereo, veritum; at fateorque, patique.
168. Dant fassus, passus; nanciscor, nactus habeto.
169. Orsus ab ordiri deducitur; usus ab utor.
170. A reor esto ratus, proficiscor sume profectus.
171. Metiri mensus gignit; pactusque paciscor.
172. Com-que-miniscor amat commentum, adipiscor, ad-
eptum.
173. Ultus ab ulciscor venit. Expergiscor habebit
174. Experrectus: et oblitum obliviscor adoptat.
175. Dat labor, lapsus: misereri funde misertus;
176. Fert *utus*, loquor, atque sequor: queror accipe questus
177. Dat nitor, nixus, nisusve; gradi accipe gressus.
178. Redde fruor, fruitus; morior tibi mortuus haeret.
179. Nascor amat natus: tandem fert ortus oriri.
180. In tribus extremis per *iturus* flecte futurum.

DE SYNTAXI

SEU

DE OCTO PARTIUM ORATIONIS CONSTRUCTIONE.

Admonitio.

Hanc Grammaticae partem varii vario modo tractant, ut discentes adiuventur; sed non omnes obtinent suum scopum. *Despauterius*, *Melanchton*, *Sanctius*, *Scioppius*, *Vossius*, *Rhenius*, *Alvarus*, *Langius*, *Schellerus*, *Bröderus* omissis aliis sunt totidem duces, et unusquisque horum suam habet methodum, et, quae sequitur, scholam. Non omnes procedunt illo, quem ceperunt, ordine; relinquunt viam et turbant, miscentque multa, dum nova cogitant, quod curiose inspicientibus patere debet. In libro usui iuventutis scholasticae destinato propositum esse debet, ire ordinate, uniformiter et dicere omnia suo loco, quae sunt necessaria. Itaque, quo ordine sunt expositae, octo partes orationis, seu Etymologia pertractata Institutionum Grammaticarum Parte I. et II.; eadem plane via progreditur in Syntaxi.

PROLEGOMENA.

Quid est Syntaxis?

Est recta *) octo partium orationis compositio, seu *constructio*.

Quotuplex est Syntaxis?

Est duplex: 1) *Analoga*, quae etiam *justa*, *legitima* vel *communis* vocatur, quae communem loquendi consuetudinem sequitur. 2) *Figurata*, quae communem loquendi consuetudinem non sequitur, et tamen bonorum Scriptorum auctoritate nititur. De hac agetur Parte IV. Instit. Grammat.

Quotuplex rursus est Syntaxis communis?

Duplex: 1) *Intransitiva*, quae etiam Syntaxis *convenientiae* vel *concordantiae* dicitur, cum voces partium orationis declinabilium conveniunt inter se in quibusdam accidentibus, puta: genere, numero, casu et persona. 2) *Transitiva*, vulgo Syntaxis *regiminis* vel *rectionis*, quando pars una orationis regit alteram, id est: efficit, ut in certo casu e. g. Genitivo ponatur; contingit hoc aut vi praepositionis apertae vel occultae, aut ex singulorum casuum natura.

Nota. Syntaxis Latina, teste longa experientia, optime condiscitur duplici methodo, *Synthetica* nimirum et *Analytica*, de quarum utraque Instit. Grammat. Part. I. actum.

---

*) Recte orationis partes inter se componere, est ita eas construere, quemadmodum prisci, inprimis autem aureae aetatis auctores, quales e. g. sunt *Cicero*, *Livius*, *Julius Caesar* etc., e quibus Grammatici suas desumserunt regulas, construxerunt; ex quo sequitur: regulas Grammaticorum, nisi exemplis et auctoritate Classicorum roborentur, rejiciendas esse: Grammatici enim non sunt Auctores, sed Custodes et Commentarii tantum Linguae Lati ae.

SECTIO I.

De Syntaxi intransitiva seu concordantiae.

Quotuplex est concordantia?

Est quintuplex: 1.) Nominativi et Verbi. 2.) Adjectivi et Substantivi. 3.) Relativi et antecedentis. 4.) Substantivorum Continuatorum. 5.) Interrogationis et Responsionis.

CAPUT I.

De Concordantia nominativi et verbi.

Quae regulae observandae in concordantia nominativi et verbi?

1.) Verbum personale finiti modi antecedit *) nominativus aperte vel occulte ejusdem numeri et personae. Sic Cic. *Si vales, bene est, ego quidem valeo.* Nam verbum infiniti modi ante se Accusativum habet. Cic. ad Att. 1. 15. ep. 10. *Hunc quidem nimbum cito transiisse laetor.*

---

*) Ad ea, quae in Syntaxi saepius occurrunt. e.g. *Nominativus antecedit verbum; vel verbum activum postulat post se accusandi casum;* et plura alia clare intelligenda Magister dilucidabit adolescenti: Quid sit Subjectum? quid Praedicatum? quid Objectum? quae accedente dilucida exemplisque illustrata explicatione facile mediocris etiam ingenii adolescentulos intellexisse experientia docuit. Subjectum nimirum est vel persona vel res, de qua aliquid dicitur seu adfirmatur, vel

2) Voces copulatae saepe verbum plurale desiderant. Cic. 12. ad Att. *Hic nobiscum sunt Nicias et Valerius.* Interdum singulari contentae sunt. Idem de Senect. *Mens et ratio et consilium in senibus est.* Nonnunquam omittitur coniunctio. Idem I. ad Q. Fr. *Frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur, oratio vero saepissime.*

3) Verbum plurale nobiliorem personam sequitur. Prima nobilior est, quam secunda et tertia: Secunda tertiae anteponitur. Cic. I. 14. ad Ter. *Si tu et Tullia lux nostra valetis, ego et suavissimus Cicero valemus.*

4) Prima et secunda persona fere non explicantur, nisi cum altera alteri quodammodo opponitur; aut cum earum diversa studia significamus. Cic. Phil. 8. *Ego conservare coloniam populi Romani cupio; tu expugnare studes.*

Ad Heren. Lib. 4. *Ego capitis mei periculo patriam liberavi; vos liberi sine periculo esse non curatis.*

Aut cum plus significamus, quam dicimus. Cicero in Ver. Act. 4. l. 3. *Tu innocentior, quam Metellus. Tu* plus significat, quam verbum ipsum per se declarat.

---

negatur. Praedicatum est illud, quod de subjecto dicitur, seu adfirmatur, vel negatur. E. g. *Deus est conditor mundi.* — *Deus* est subiectum, *est conditor mundi* est praedicatum. Obiectum vero est persona, vel res, ad quam actio subiecti transit, e. g. *Deus condidit mundum. Deus* est subiectum, *condidit mundum* est praedicatum; *mundum* est obiectum creationis.

His praemissis *naturalis constructionis ordo est:* 1.) Subiectum praecedit, praedicatum sequitur. 2.) In praedicato vocabulum illud, quod aliud regit, praeponitur, et illud, quod ab hoc regitur, postponitur, e.g. *Deus amat probos. Deus* est subiectum, *amat probos* est praedicatum. *Probos* a verbo *amat* regitur; ergo etiam sequitur. Verum liberior linguae latinae usus hunc ordinem saepius permutat et dicit: *probos amat Deus*, vel *amat Deus probos*, vel *Deus amat probos.* Plerumque tamen Latini verbo claudunt sententiam.

3. Verbum infinitivum interdum partes nominativi agit. Cic. in Orat. *Oportere perfectionem declarat officii.* Ter. Heaut. Act. 3. Scen. 2. *Non est mentiri meum.*

Interdum verbum cum suo casu. Cic. lib. 7. ad Marium ep. 3. *Vacare culpa, magnum est solatium.*

Nota. 1.) Utuntur interdum Oratores in copulatis vocibus verbo singulari, sed rarius. Cic. pro Rab. *Vos, vos, inquam, ipsi et Senatus frequens restitit.* Poëtae verbo plurali interdum utuntur, intercedente praepositione *cum.* Virg. I. Aeneid. *Remo cum fratre, Quirinus Iura dabant.* Oratores singulari. Cic. 2. ad Q. Fr. *Domitius cum Messala certus esse videbatur.*

2. Poëtae intercedente etiam praepositione *cum*, verbum multitudinis praestantioris personae reddunt. Virg. 2. Aeneid. *Divellimur inde Iphitus et Pelias mecum.* Oratores vero verbum nominativo reddunt, nulla habita ratione ablativi. Cic. 3. ad Att. *Nec totum animum tuum moerori mecum dedisses.* Quod item et Poëtae faciunt. Hor. in Arte Poët. *Tu, quid ego et populus mecum desideret, audi.*

3) Verba: *apparet*, *fallit*, *fugit*, *praeterit*, *latet*, interdum loco nominativi membrum orationis habent. Cic. 12. ad Att. *Apparebat, illas literas non illius esse.*

4. Idem accidit nonnunquam verbis passivis, cum more impersonalium usurpantur. Cic. de Amic. *Tarquinium dixisse fertur.* Idem Tusc. 6. *Non mihi videtur ad beate vivendum satis posse virtutem.* Quae tamen imitanda non videntur; nam *fertur*, *videtur*, *dicitur*, et eiusmodi verba nominativo iunguntur. Dic igitur active: Tarquinium dixisse ferunt.

APPENDIX.

De verbis utrinque habentibus nominativum.

Quae verba utrinque recipiunt nominativum?

1) Quaelibet verba utrinque nominativum recipiunt *): imprimis autem 1) *sum*, *forem*, *fio*, *evado*, *existo*, *maneo*, *nascor*, *orior*, ut: *Ira furor brevis est.*

Leve fit, quod bene fertur onus. Hic evadet vir doctus, pro quo vulgo, sed minus latine dicitur: *Hic evadet in virum doctum. Terra manet immobilis. Nemo nascitur dives etc.*

2) Verba passiva vocandi, uti sunt: *apellor, audior, dicor, feror, nominor, nuncupor, perhibeor, salutor;* existimandi, ut sunt: *appareo, censeor, credor, habeor, iudicor, videor* **) et cognoscendi, qualia sunt: *arguor, deprehendor, evincor, reperior, e. g. septem*

---

*) Perperam vulgo dicunt *regunt* pro *recipiunt*. Nec enim Nominativus a verbo regitur, sed cum eo convenit.

**) De constructione verbi *videor*, sequentia observa: 1.) Usurpatur *impersonaliter*, e. g. *mihi visum est de senectute scribere.* Cic. Quod tunc imprimis fit, cum non tam opinio et sententia, quam voluntas et inductio animi significatur, ac fere pro *placuit* ponitur; ut: *visum est ad te scribere.* Aut cum nullo pacto Nominativo locus esse potest, ut: *mihi videtur Deo serviendum.* Sed accidit nonnunquam, quemadmodum prioris capitis nota 4. adnotatum est, ut etiam, cum opinionem significat, impersonaliter usurpetur. 2) Sumitur personaliter, et tunc in hunc modum construitur:

a) Persona verbi *videor* ponitur in Dativum *mihi, tibi, illi* etc. *videtur*. Subinde tamen hic Dativus omittitur, ut: *videntur omnes scire*.

b) Nominativus verbi subsequentis fit Nominativus verbi *videor*, quod cum eodem in genere, numero et persona concordat, v. g. ego videor, tu videris, parentes videntur. *Ejus consilii auctor ego fuisse videor*. Valet hoc, etsi verbum videor iteretur. *Videor mihi videri sapiens*. Saepius autem repetere nec latinum et putidum est, ut: *Mihi visum est, Petro visum fuisse, meo fratri visum fuisse, tibi visus esse, Andreas punitus fuisse.*

c) Verbum sequens omissis coniunctionibus, *quod* etc. in infinitivo et eodem tempore ponitur, ut: *Pueri mihi videntur videre.*

fuisse dicuntur uno tempore, qui sapientes et haberentur et vocarentur. Cic. de Orat. *Universus hic mundus una civitas existimatur.* Cic.

3) Verba, quae recipiunt post se nominativum significantem statum aut gestum rei, ut: *Nemo saltat sobrius.* Cic. pro Mar. et in quibus prior nominativus ex praecedenti oratione est supplendus. E. g. *Incedit rectus, dormit supinus. It cubitum incoenatus.*

4) Huc pertinent, in quibus nomina adiectiva pro adverbiis ponuntur, e. g. *Venio in Senatum frequens* pro *frequenter.* Cic. de Senect. *Tibi lubens bene faxim.* Terent. pro *lubenter. Nec minus Aeneas se matutinus agebat.* Virg. pro *mane.*

CAPUT II.

De concordantia Adiectivi cum Substantivo.

Quid sciendum de Concordantia Adiectivi cum Substantivo?

1) Nomina adiectiva, pronomina et participia cohaerent cum suis substantivis genere, numero et casu. Cic. in Verr. Act. 6. *Erat hiems summa, tempestas perfrigida, imber maximus.* Curt. lib. 6. *Parva saepe scintilla contemta, magnum excitavit incendium.*

2) Substantiva coniuncta fere adiectivum multitudinis requirunt. Liv. 4. Bell. Pun. *Hippocrates et Epicides nati Carthagine, sed oriundi ab Syracusis.* Quod si adiectivum singularis sit numeri, cum viciniore substantivo, genere, numero et casu consentiet. Cic. de petit. Consul. *Multorum arrogantia, multorum contumacia, multorum superbia, multorum odia ac molestia perferenda est.*

---

d) Si participium vel adiectivum sequatur, cum nominativo verbi videor in genere, numero et casu concordabit: *Videtur mihi Petrus aegrotus, videntur sorores tuae brevi venturae esse.* Infinitivus *esse* frequentius omittitur. *Videtur aegrotus, videntur venturae.*

Quod de videor dictum est, idem de aliis supra memoratis intelligendum est. *Ille adiutor fuisse traditur, perhibetur.*

3) Adiectivum plurale praestantius genus sibi vendicat. Virile praestantius est muliebri et neutro. Ter. in Eun. Act. 3. Sc. 3. *Quam pridem mihi pater et mater mortui sunt.* Idem And. Act. 5. *Domus, uxor, liberi inventi invito patre.* Cic. 2. Off. *Ex quo leges, moresque constituti.* Neutrum muliebri praefertur, praecipue cum de rebus inanimatis sermo est. Sal. in Cat. *Divitiae, decus, gloria in oculis sita sunt.* Idem ibid. *His genus, aetas, eloquentia prope paria fuere.*

4) Cum substantivis rerum inanimatarum plerumque iungitur neutrum multitudinis Liv. 7. Bell. Mac. *Ira et avaritia imperio potentiora erant.* Cic. 5. Tusc. *Moderati habitus affectiones, ususque corporis apta esse ad naturam videntur.*

5) Saepius tamen adiectivum cum viciniore substantivo tum singularis, tum pluralis numeri, genere, numero et casu consentit. Cic. in Catil. 4. *Video, Patres Conscripti, in me vestrum omnium ora, atque oculos esse conversos.* Idem L. 1. ad Q. Frat. *Tibi omnium salutem, liberos, famam, fortunas esse carissimas.* Liv. 7. Bell. Maced. *Hoc Senatus consultum, literaeque a Sp. Posthumio Praetore in Hetruriam missae sunt.* Ter. Eu. Act. 2. Sc. 2. *Vident otium et cibus, quid faciat alienus?*

6) Participia *factus, creditus, dictus, dicendus, visus, appellatus*, et cetera eiusdem generis, si post duo substantiva diversorum generum ponantur, cohaerent cum eo, quod est basis et fundamentum orationis. Plinius L. III. c. 5. *Puteoli colonia Dicaearchia dicti.*

Nota. 1.) Si de rebus animatis agatur, circuitione utamur, hoc modo: *Lucretia castissima fuit; qua virtute etiam eius mancipium floruit.* Id tutius, quam si dicas: *Lucretia et eius mancipium fuerunt castae.*

2) Figurata constructio censenda est, cum apud probatos Scriptores e duobus substantivis adiectivum consentit cum minus praecipuo, ut: Cic. 2. de Div. *Non enim omnis error stultitia dicenda est.* Liv. Lib. I. *Gens universa Veneti appellati.* Ter. Phorm. Act. 2. *Paupertas mihi onus visum est et grave.*

3) Poëtae substantivis praepositione *cum* copulatis plurale adiungunt, suo iure. Ovid. 2. Met. *Sors eadem Ismarios Hebrum cum Strimone siccat. Ismarios*, adiectivum est duorum fluviorum. Sequuntur etiam generis praestantiam. Ovid. 3. Fast. *Ilia cum Lauso de Numitore sati.*

CAPUT III.

De Concordantia relativi cum antecedente.

Quid de Concordantia relativi cum antecedente?

1) Relativum qui, quae, quod concordat cum antecedente in genere et numero. Cic. Tiron. Lib. 16. *Nemo nos amat, qui te non diligat.* Idem 3. ad Att. *O te ferreum, qui illius periculis non moveris!*

2) Item pronomina: hic, ille, iste, ipse, is, idem cum fiunt relativa. Idem 2. ad Att. *Venit obviam tuus puer: is mihi literas abs te reddidit.*

3) Relativum qui, quae, quod, quando antecedenti praeponitur, cum eodem genere, numero et casu perquam venuste cohaeret. Cic. 9. ad Att. epist. 14. *Quos cum Mario pueros miseras, epistolam mihi attulerunt.* Ter. And. prol. *Quas faciet de integro Comoedias spectandae, an exigendae sint vobis prius.* Quamquam sepius alterum relativum subjicitur pronominibus: hic, iste, ille etc. Cic. Tusc. 1. *Quam quisque novit artem, in hac se exerceat.* Idem ad Curion. l. 4. *Quarum laudum gloriam adamatis, quibus artibus hae laudes comparantur, in iis esse laborandum.*

4) Quod, si inter duo substantiva ponatur, cum alterutro consentire poterit, etiam si alterutrum proprium sit. Sall. in Catil. *Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur.* Curt. Lib. 3. *Darius ad eum locum, quem Amanicas Pylas vocant, pervenit.*

5) Quantus, qualis etc. id genus nomina cum relativa fiunt, non cum antecedente, sed cum consequente substantivo genere, numero et casu consentiunt. Cic. ad Cassium Lib. 12. ep. 7. *Dixi de te, quae potui, tanta contentione, quantum forum est.* Idem in

Brut. *Utinam in Tib. Graccho, Caioque Carbone talis mens ad Remp. bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit.*

Nota. 1.) Nominativus et verbum, adiectivum et substantivum, relativum et antecedens, interdum, praesertim apud Historicos et Poëtas, sensu et significatione consentiunt, quamvis voce discrepent. Virg. I. Aen. *Pars in frusta secant.* Liv. Bell. Maced. 7. *Pars in iuveniles lusus versi, pars vescentes sub umbra, quidam somno etiam strati.* Ter. And. Act. 3. Sc. 5. *Ubi ille scelus est, qui me perdidit? — Ille scelus*, hoc est: sceleratus.

2.) Orationis membrum interdum loco antecedentis ponitur, idque in neutro genere. Cic. 2. Att. Ep. 19. *Pompejus* (quod mihi summo dolori est) *ipse se afflixit.* Idem pro Corn. *Unum objicitur*, natum esse Gadibus: *quod nemo negat.*

3.) Si plura antecedunt substantiva, idem, subsequente relativo, observandum, quod de adiectivis dictum est. Nam, si diversa genera antecedunt, relativum quoque generi praestantiori consentit. Cic. I. Offic. *Propter summam et doctoris auctoritatem, et urbis, quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis.*

4.) Et muliebria substantiva rerum inanimatarum relativo quoque plurali neutro iunguntur. Cic. 3. ad Att. ep. 20. *Quae vita esset nostra, quae suavitas, quae dignitas, ad quae recuperanda per fortunas incumbe.*

5.) Et frequenter relativum redditur viciniori substantivo. Cic. in Pison. *Mihi non venerat in mentem; furorem et insaniam optare vobis, in quam incidistis.*

CAPUT IV.

De Substantivis continuatis, sive de Appositione substantivorum.

Quae regulae de Appositione Substantivorum?

1) Substantiva continuata, quae ad eandem rem spectant, casu concordant, quamvis genere et numero interdum dissentiant. Cic. Att. Lib. 1. ep. 8. *Tulliola*,

deliciae nostrae, tuum munusculum flagitat. Plinius L. 1. Epist. *Quid agit Comum, tuae, meaeque deliciae.*

2.) Interdum alterum substantivum genitivi est casus, etiamsi alterum alio casu efferatur. Cic. 5. ad Att. ep. 18. *Cassius est in oppido Antiochiae*, pro: *in oppido Antiochia.* Virgil. 3. Aen. *Et celsam Buthroti ascendimus urbem.* Quae tamen vix videntur imitanda.

Nota. 1.) Quaerunt hoc loco Grammatici, utri potius substantivo reddendum sit verbum, adiectivum et relativum, magis ne, an minus communi? Ego, quantum memini me observasse, existimo, si alterum proprium sit hominis, cum eo verbum, ceteraque consentire. Cic. ad Mar. l. 7. ep. *Deliciae vero tuae, noster Aesopus eiusmodi fuit, ut ei desinere per omnes liceret.* Si vero de aliis rebus agatur, saepissime video verbum, adiectivum, relativumque magis communi respondere. Liv. Bell. Mac. 7. *De Solis urbe, quae in Cilicia est, egerunt. Soli, Solorum*, nomen est urbis. Plin. l. 31. c. 3. *Tungri, civitas Galliae, fontem habet insignem.* Liv. l. 2. *Corioli oppidum captum.*

2.) Si alterum substantivum est *mobile*, etiam genere et numero convenire debent, ut: *gladius ultor*, non *ultrix. Lauri victrices*, non *victores. Usus magister artium*, non *magistra. Experientia optima rerum magistra*, non *magister.* Sic Horatius canit: Et genus et formam *regina pecunia* donat, non rex; sed epicoenis et neutris iungitur masculinum. E. g. *Tempus est discipulus et magister multorum. Aquila armiger.* Plin. Svet. habet: *Aquila victrix. Fatis victoribus.* Virg.

3) Duo vel plura substantiva per coniunctionem copulata requirunt nomen plurale; e. g. *Pythagoras et Plato Actores.* Cic. *Luxuria et ignavia pessimae artes.* Sall. *Rhenus et Rhodanus flumina.* Sveton. *Odium et metus pessimi ad diuturnitatem custodes.* Haec resolvi posse per *sum, es, est*, et *q. q. q.* examinanti patet.

CAPUT V.

De Interrogatione et Responsione.

Quid est generatim praeceptum de Interrogatione et Responsione?

Interrogatio et Responsio fere casu consentiunt: *Cui praeceptori dedisti operam? Platoni. Cuius est haec Oratio? Ciceronis. Quem existimas fuisse Principem Oratorum? Demosthenem. Quo morbo fuisti impeditus? assidua febricula.*

Nota 1) Quum per *verbum* quaeritur, quod cum aliis nominibus *alio casu* construitur, interrogativum et redditivum casu *discordare* contingit, ut:

Quanti emtus *est liber? Duabus* drachmis.

Cuius sectae *es? Sum* Peripateticus.

Quot annorum *est? Est* quadragenarius, *Est* trimulus.

2) Quum per pronomen *cuius* quaeritur, possessoris nomen *Genitivo* subiicitur; *Possessiva autem pronomina eo casu*, quem, verbum, ad quod respondetur, requirit, ut:

Cuius *est haec oratio?* Ciceronis, mea, tua, nostra.

Cuius *puerum adduxisti?* Pamphilii, meum, tuum.

Cuius *pecus? an* Meliboei? *Non; verum* Aegonis. Virg. 3. Eccl.

3) Si vero ad *diversum* verbum respondetur, *casus* quoque *diversus* esse potest, pro natura verbi et totius phraseos, ut:

Quis *fecit? Nescio*, me latet.

Quis *me sequitur?* Neminem *video (scil. sequi).*

Cuius *est hic liber?* Petrus *est possessor.*

Estne hic liber *tuus?* Non.

Quis *est auctor huius libri? Audio* Ciceroni *eum tribui. Praedicant auctorem* Ciceronem.

Quot habet annos? Est quadragenarius.

4) In Interrogationibus, quae per *verba* fiunt, idem est intelligendum; ubi commodissime ad *personale* respondetur per *personale; ad impersonale* per *impersonale*, ut:

Scripsisti? Scripsi. *Tune* fecisti? *non* feci.
Annon dixi hoc *futurum?* Dixisti. *Ter. Andr.* 3. 5.
Quid agitur? Statur, sedetur, egetur *acriter*, discitur, luditur.

5.) Similiter in interrogationibus, quae per *advebia* fiunt, commode etiam per *adverbia* eiusdem significationis respondetur, si modo vocabula suppeditantur, ut:
Unde *venit?* Coelitus, desuper.
Quo *tendis?* Huc, isthuc, illuc, eo, intro, foras.
Quomodo *vales?* Bene, male, mediocriter.
Quando *venies?* Cras, perendie.
Quorsum *cecidit?* Dextrorsum, sinistrorsum.
Quoties *audivisti?* Ter, quater, quinquies, decies.

6) Saepe autem fit, ut vel ex natura conceptus, vel si conceptus est idem, tamen vel ex inopia vocum vel ex varietate phrasium; nec per nomina, nec per verba, nec per adverbia, simili voce responderi possit. Tunc ergo *ex sensu* conformis *responsio* est facienda, eaque ex aliis regulis Syntaxeos indicanda, ut:
Quis *fecit?* *Nescio.* *Aiunt* Scipionem *fecisse.*
Chaere an *tuam vestem* detraxit? Factum.
Et pro te *huc* deductus *est?* Ita. *Ter. Eun.* 4. 3.
Unde venis? Lipsia. E templo. Ex Anglia.
Quomodo *valet?* aegrotat.
Quo *vadis?* Budam. In templum. Ad patrem, emtum libros.
Quotus *es in classificatione?* occupo *primum* locum.

SECTIO II.

De Syntaxi transitiva seu regiminis.

CAPUT I.

De Syntaxi Nominum.

Quotuplex est Syntaxis nominum transitiva?

Quadruplex: aut enim construuntur nomina, in quocunque casu cum *Genitivo*, aut cum *Dativo*, aut cum *Accusativo*, aut cum *Ablativo*.

§. 1.

Genitivus post nomen, et quidem: *A)* Substantivum. *B)* Adiectivum.

A) *Quando substantivum cum substantivo genitivo casu iungitur?*

1) Quotiescunque *duo* nomina *substantiva rerum diversarum* in oratione continuantur, alterum erit Genitivi casus, ut: *supplicium est poena peccati.* Cicero *Honor est praemium virtutis.* Idem. *Somnus est imago mortis.* Idem. *Mors ultima linea rerum.* Horat. *Gloria est umbra virtutis.* Sen.

2) Idem fit, si alterum substantivorum fuerit pronomen primitivum loco substantivi positum *), ut: *Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira; tarditatemque supplicii gravitate compensat.* Val. Max.

*) Juxta hanc regulam nomina adiectiva et pronomina, neutro genere substantive posita, regunt Genitivum, e. g. *Quantum quisque sua numorum servat in arca, tantum habet et fidei.* Juven. *Quid hoc hominis? quid illud mali?* Terent. *Hoc literularum exaravi ante lucem.* Cic. *Quid hic tibi est negotii?* Terent. *Quodcunque hoc regni?* Virg. *Tantum cibi, potionisque adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur.* Cic.

Huc referuntur etiam illa Historicis et Poëtis familiaria: *angusta viarum*, *abdita rerum*, *occulta saltuum*, pro: angustae viae, abditae res, occulti saltus.

3) Genitivum petunt nonnulla substantiva, quae non videntur esse substantiva, uti sunt:

a) Instar *), *e. g. Id ago, ut mihi instar totius vitae sit dies.* Sen. *Persuadent Mathematici, terram ad universi coeli complexum, quasi puncti instar, obtinere.* Cic. *Quidam Romani habebant domos instar urbium.* Sen. *Instar montis equum aedificant Danai.* Virg.

*) *Instar* proprie significat idem, ac *imago*, *similitudo*, *exemplar*, videturque praepositio *ad*, per elipsim exmissa; invenitur etiam cum *ad*, ut: *est vallis, quae continuis montibus, velut muro quodam, ad instar castrorum clauditur.*

b) Causa **) *e. g. Non solum natura, sed etiam legibus populorum constitutum est, ut non liceat, sui commodi causa nocere alteri.* Cic. off. 2.

**) Causa nonnunquam sequitur pronomen personale, sed huius loco ponatur pronomen possessivum: mea tua, sua, nostra, vestra, in Abl. e. g. *Quam multa, quae nostra causa nunquam faceremus, facimus causa amicorum.* Cic. Amic.

c) Gratia e. g. Tantum abest, ut fruges terrae bestiarum causa paratae sint, ut ipsas bestias hominum gratia generatas esse videamus. Cic. Nat. Deor.

d) Ergo proprie non est particula, sed substantivum graecum ἐργῳ i. e. *opere, causa, e. g. Demosthenes corona aurea donabatur, virtutis ergo, benevolentiaeque erga populum Atheniensem.*

Nihil, idem quod *nihilum*, e. g. *Justitia nihil expetit praemii.* Cic.

1) Cum vel persona vel res aliqua *secundum suas proprietates*, formam, tempus, durationem, numerum, magnitudinem et pretium describitur, hae proprietates Genitivo *) efferuntur; ut: *Seneca vir erat* excellentis ingenii atque doctrinae. Col. *Tarquinius fratrem habuit Aruntem*, mitis ingenii *iuvenem.* Liv. *Aristides exilio* decem annorum *mulctatus est.* Nep. *Dies, tempus est* viginti quatuor horarum. Sen. *In palatio Neronis colossus* centum viginti pedum *stabat.* Svet. *Si vicinus tuus vestem* pretii maioris *habeat, quam tu habes, tuam ne, an illius malis.* Cic.

*) Substantiva, quibus proprietas exprimitur, saepe Ablativo etiam efferuntur; e. g. *Caesar Valerium* summa virtute et humanitate *adolescentem*, *ad Ariovistum misit.* Caes. In Ablativis his adiectivum *praeditus* putant nonnulli subintelligi, quod nonnunquam eiusmodi Ablativis aperte adhaeret, e. g. *Adolescentibus* bona indole *praeditis sapientes senes delectantur.* Cic. de Sen. *Varus homo summa religione* et summa auctoritate praeditus. Cic. Culent. Notandum: substantiva haec, quae ad laudem vel vituperationem referuntur, sine adiectivis nunquam occurrere, ut: vir exempli *recti.* Liv. Adolescens *eximia* spe, summa virtute. Cic.

5) Substantivum Genitivum regens interdum per ellipsim intelligitur, e. g. *Ubi ad Dianae veneris.* Ter. *In tabulis, quae sunt ad Opis.* Cic. subintellige *aedem. Germanicus Aegyptum proficiscitur cognoscendae antiquitatis.* Tacitus saepe sic loquitur: subintellige *causa, gratia; cum illius diei* (subintellige cogitatio) *mihi in mentem venit, quo die, citato reo, mihi dicendum sit, non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco.* Cic.

6) Substantiva affectuum, ut; amor, odium, cura, sollicitudo, memoria, fastidium, desiderium, contemtus etc. quando passionem significant, regunt Genitivos primitivorum *mei, tui, sui, nostri, vestri.* Sed passiva *meus, tuus, suus, noster, vester*, active explicantur, ut: *amor tui*, id est: *quo tu amaris*, *amor*

tuus est, id est *quo tu amas. Victus amore tui.* Virg. *Ne studio nostri pecces.* Horat.

Nota. 1.) Si substantiva eiusmodi aliis iungantur Genitivis, nunc active, nunc passive exponuntur, ut: *Amor Romanorum*, hoc est: *quo amant* vel *amantur*.

2.) Possessiva interdum accipiuntur pro primitivis, e. g. *Quae mea causa fecit.* Cic. *Quae nostra causa nunquam fecerimus.* Terent.

B) De Genitivo post quaedam nomina *Adiectiva, Pronomina etc.*

Quae adiectiva iunguntur cum Genitivo?

1) Adjectiva *partitiva*, de qibus instit. Gramm. Part. II. seu nomina sint, seu pronomina et omnia partitive posita, regunt Genitivum pluralem vel collectivi nominis singularem, loco praepositionum *ex, de, inter*, apud quem Genitivum subaudiri aliqui putant *de numero*; e. g. *Multi Romanorum capti sunt*, id est: multi de numero Romanorum capti sunt. Hinc ponitur Genitivus.

a) Post voces: *uter, alter, neuter, uterque, alius, solus, ullus, nullus, nemo, quis, qui, quicunque, quisque, quilibet, quisquam, aliquis, quidam, multi, pauci, quot, quotusquisque*; e. g. Uter nostrum *popularis est? tune, an ego?* Cic. Animantium aliae *coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae spina hirsutae; pluma alias, alias squama videmus obductas.* Cic. Nat. D. *Traianus* solus omnium *intra Urbem sepultus est.* Eutr. *Elephanto* belluarum nulla *est prudentior.* Cic. Nemo mortalium *omnibus horis sapit.* Plin. H. N. In unoquoque virorum bonorum *habitat Deus.* Sen. *Nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur* ab aliquo Philosophorum. Cic. Divers. Decimum *quemque ignominiosae cohortis, sorte dictos, fusti necat.* Tacit.

b) Post *Comparativos, et Superlativos*, si partitivis accenseri possint. E. g. *Socrates est* omnium sapientissimus *oraculo Apollinis iudicatus.* Cic. *Indus* est omnium fluminum maximus. Cic. Velocissimum omnium animalium est *Delphinus.* Plin. Alexander seniores

militum *in patriam remisit*. Curt. Optimus populi romani *iudicatus est Scipio*. Cic.

c) Post *numeralia*, e. g. *Tarquinius Superbus* septimus *atque* ultimus regum romanorum *Volscos vicit*. Eutr. *Sylla* centum viginti quatuor suorum *amisit*. Eutr.

Nota 1.) Horum Genitivorum loco poni etiam Ablativus potest cum praepositione *de*, *ex et in*, vel Accusativus cum praepositione *inter*, *ante*, e. g. Soli ex animantibus *nos homines astrorum ortus*, *obitus*, *cursusque cognovimus*. Cic. Acerrimus ex omnibus nostris sensibus *est sensus videndi*. Cic. Inter maxima vitia nullum *est frequentius*, *quam ingrati animi*. Sen. Unus ante alios *fuit carissimus*.

2.) Quodsi supradicta vocabula non sint partitiva, id est: non partem totius indicent, non petunt Genitivum, sed concordant in casu cum suis substantivis, e. g. *Alter Consul*, *alia res*, *multi homines*, *praestantissimus vir*, *septimus rex* , *etc*.

2) Genitivum regunt adiectiva *relativa*. Sunt vero adiectiva relativa, quae sensum perfectum non efficiunt nisi ipsis vocabulum addatur, e. g. *cupidus*, *peritus etc*. Qui enim cupidus est, debet esse cupidus alicuius rei, sic etiam peritus: debet esse peritus alicuius rei etc. Eiusmodi adiectiva sunt:

a) Quae *studium* aliquod aut *aemulationem* indicant, uti sunt: *avidus*, *cupidus*, *studiosus*, *aemulus*. E. g. Avida *est* periculi *virtus*, *et quo tendat*, *non quid passura sit*, *cogitat*. Sen. *Multi homines contentionis sunt* cupidiores, *quam* veritatis. Cic. *Pythagoras* sapientiae studiosos *appellat Philosophos*. Cic. *Alexandria fuit* Aemula Carthaginis. Just.

b) Quae indicant *scientiam* aut *inscitiam*, uti sunt: *gnarus*, *ignarus*, *inscius*, *nescius*, *conscius*, *peritus*, *prudens*, *et imprudens*, *rudis*, *consultus*, *e. g. In omnibus rebus est aliquid optimum*, *idque ab eo potest*, *qui* eius rei gnarus *est*, *iudicari*. Cic. *Oratorem* ne Physicorum *quidem* ignarum esse volo. Cic. *Socrates* omnium rerum se inscium *fingebat*, et rudem. Cic. Nescia *mens hominis* fati, sortisque futurae. Virg. Conscia *mens* recti *famae mendacia ridet*. Ovid. *Themisto-*

cles peritissimos belli *Navalis fecit Athenienses.* Nep. Imperitus *est* morum *agricola et rusticus.* Cic. *Conon* et prudens rei militaris, *et diligens erat Imperator.* Nep. *Acarnanes duo iuvenes templum Cereris*, imprudentes religionis ingressi sunt. Liv. *Evander, vir erat venerabilis miraculo literarum, rei novae inter* rudes artium homines. Liv. *Numa Pompilius vir* consultissimus *erat* omnis divini atque humani iuris. Liv.

Nota. *Rudis* etiam admittit ablativum cum praepositione *in*, et Consultus: ablativum *Iure*, e. g. *Orator* nulla in re rudis *esse debet.* Cic. Valerium *Iure consultum* valde tibi commendo. Cic.

c) Quae indicant *memoriam* aut *oblivionem*, uti: *memor*, *immemor*, e. g. venturae memores *iam nunc estote* senectae. Ovidius. *Omnes* immemorem beneficii oderunt. Cic.

d) Quae indicant *participationem* seu communionem, aut contrarium, uti: *particeps*, *expers*, *consors*, *exors*, *socius*, *e. g. Solus homo ex tot animantium generibus* rationis *est* particeps. Cic. *Bestiae* rationis *et* orationis *sunt* expertes. Cic. *Eloquentia pacis est comes*, otiique socia. Idem.

e) Quae indicant *potentiam* aut *impotentiam*, ut: *compos*, *impos*, *potens*, *impotens. e. g. Certe omnes* virtutis compotes *beati sunt.* Cic. *Eripite isti gladium, qui* sui impos *est* animi. Plaut. *Non tenuit iram Alexander*, cuius potens *non erat.* Curt. *Ira, ut insania*, impotens sui *est.* Sen.

f) Quae indicant *copiam* et *ubertatem*, vel contra *inopiam et egestatem*; uti: *plenus*, *refertus*, *fertilis*, *ferax*, *fecundus*, *sterilis*, *indignus etc. e.g.* Medicamentorum salutarium plenissimae *sunt terrae.* Cic. Referta *quondam Italia* Pythagoreorum fuit. Cic. *Roma* externae opis indiga est. Tacit. *Germania* pecorum fecunda est. Tac. *Non adeo* virtutum sterile *seculum, ut non et bona exempla ediderit.* Tac.

Nota. Adiectiva haec, quae copiam aut inopiam indicant, etiam cum ablativo construi possunt. *Plenus* quidem nonnunquam, *refertus* plerumque Ablativum regit.

E. gr. *Epicurei aiebant: nihil esse praestabilius otiosa vita* et plena voluptatibus. Cic. *Insula Delos* referta divitiis *fuit*. Cic.

g) Nonnulla adiectiva *verbalia*, exeuntia in *ax*, uti: *capax*, *tenax etc.*, e. g. *Pharos insula* magnae urbis *haud* capax *est*. Cum *natura* tenacissimi *sumus* eorum, *quae rudibus annis percipimus*. Quint.

h) Participia praesentis temporis adiectivorum more adhibita, e. g. *Quis famulus* amantior domini, *quam canis?* Colum. *Epaminondas adeo fuit* veritatis diligens, *ut ne ioco quidem mentiretur*. Nep.

i) Huc denique referuntur innumera adiectiva, quae imprimis apud Poëtas et Historicos cum Genitivo iuncta occurrunt, et ex lectione Classicorum percipiuntur, e. g. *Anxius futuri*. Ovid. *Aeger animi*. Liv. *Securus odii*. Tac. *Callidus temporum*. Tac. *Interritus laeti*. Ovid. *Impavidus somni*. Sen. *Timidus procellae*. Hor. *Trepidus rerum suarum*. Liv. *Ferox linguae*. Tac. *Fidens animi*. Tac. *Haud segnis occasionum*. Tac. *Socors rerum*. Ter. *Liberalis pecuniae*. Sal. *Vini*, *somnique benignus*. Hor. *Prodigus aeris*. Hor. *Profusus sui*. Sal. *Pecuniae suae parcus*, *publicae avarus*. Tac. *Integer vitae*, *scelerisque purus*. Hor. *Solers cunctandi*. Sil. *Egregius animi*. Virgil. *Praestans animi*. Virgil. *Praeclarus eloquentiae*. Tac. *Praecipuus circumveniendi*. Tac. *Insons publici consilii*. Liv. *Constans fidei*. Tac. *Felix curarum*. Stat. *Modicus virium*. Vel. *Irritus spei*. Curt. *Ingens animi*. Tac. *Manifestus sceleris*. Sall. *Laeta laborum*. Virg. *Maturus animi*. Virg. *Reus culpae*. Liv. *Noxius coniurationis*. Tac. *Innoxius consilii*. Curt. *Fervidus ingenii*. Sallust. *Assuetus tumultus Gallici*. Liv. *Insuetus laboris*. Caes.

§. II:

Dativus post Nomen.

A) Substantivum.
B) Adiectivum.

Quae substantiva cum aliis substantivis dativo casu iunguntur?

1) *Substantiva commodi et incommodi* significationem habentia, alterum in Dativum adsciscunt, qui Dativus ad interrogationem *cui? pro quo? cuius gratia?* a Latinis ponitur, e. g. Lupus *est homo* homini, *non homo*. Plautus. *Erit ille* mihi *semper* Deus. Virg. *Non sum* uni angulo *natus: patria mihi totus hic est mundus*. Sen. *Non solum* nobis *divites esse volumus, sed liberis*, propinguis, amicis, *maximeque* reipublicae. Cic. off. 3. *Non* scholae, *sed* vitae *discimus*. Sen. *Nemo errat* uni sibi *sed dementiam spargit in proximos*. Sen. *Domus* Dominis *aedificata est*, non muribus. Cic. *Pisistratus* sibi *non* patriae *Megarenses vicit*. Just.

Nota 1.) Dativus hic commodi vel incommodi saepe numero loco Genitivi ponitur: ut: *Ego* huic causae patronus *exstiti*. Cic. Huic *ego me* bello ducem *profiteor*. Cic. Veniam errori, atque adolescentiae *petendo*. Liv. pro erroris. *Quem exitum* tantis malis *sperarent*. Sall. *pro* malorum. *Rhinoceros* hostis elephanto est. Plin. *Annibal pollicitus est* caput Italiae omni *Capuam fore*. Liv. *Rufus ad amicos deferebat*, *se esse* heredem Fabio Gallo. Cic.

2.) Huc referunt nonnulli modum illum loquendi: *Est mihi nomen Petro*, *Iulo*, pro Petri vel Petrus etc. veteres sic loquuntur: *Syracusis est fons aquae dulcis*, cui *nomen* Arethusa *est*. Cic. *Samnites Maleventum*, cui *nunc* urbi Beneventum nomen *est*, *perfugerunt*. Liv. *Numitoris filia duos pueros enixa est*, *nomina* pueris, alteri Remo, alteri Romulo *fuere*. Just. *Inter primores iuvenum C. Marius erat* cui cognomen *postea* Coriolano *fuit*. Liv. Nomen *Mercurii* est mihi. Plaut.

2) *Verbalia substantiva* interdum casum verbi sui retinent, uti: *multos eius* honori *video esse* fautores. Cic. Justitia est obtemperatio scriptis legibus. Cicero. *Neque* oblocutor *sum* alteri in convivio. Plaut. *Non* mihi oblatratricem *in aedes intromiseris*.

De Dativo post Adiectiva.

Quae Adiectiva regunt Dativum?

1) Adiectiva regunt Dativum personae vel rei, cui aliquid acquiritur vel adimitur. Huiusmodi sunt adiectiva *commodi et incommodi*, ut: *utilis*, *inutilis*, *noxius*, *perniciosus*, *salutaris*, *pestiferus*, e. g. *Lacedaemonii id potius intuebantur*, *quod ipsorum* dominationi, *quam quod* universae Graeciae utile *esset*. Nep. *Athenienses urbem muris sepserunt*, *neque eo*, *quod* inutile *esset* Graeciae, fecerunt. Nep. *Ipsa* mihi *literarum tractatio* salutaris *fuit*. Cicero. *Ratio* pestifera multis, *admodum* paucis salutaris est. Cic.

2) Quae *similitudinem* aut *dissimilitudinem*, *aequalitatem* aut *inaequalitatem* significant, ut: *similis*, *dissimilis*, *aequalis*, *inaequalis*, *par*, *dispar* etc., e. g. *Canis nonne* similis lupo *est?* Cic. *Nihil tam* dissimile, *quam Cotta* Sulpicio. Cic. *Livius* Ennio aequlis *fuit*. Idem Noxae *poena* par *esto*. Cicero de Leg. *Honorum gradus* summis hominibus *et* infimis *sunt* pares: *gloriae* dispares. Cic.

Nota 1.) *Similis et dissimilis* Genitivo frequentius iunguntur, quando ad *animum* referuntur; Dativo vero, quando ad externam figuram aut similem affectionem, e. g. *Par est*, *primum*, *ipsum esse virum bonum*, *tum alterum* similem sui *quaerere*. Cic. de Amic. *Dux ille Graeciae nusquam optat*, *ut* Aiacis similes *habeat decem*, *an ut* Nestoris. Cic. de Sen. *Numa in civitate bellicosa plures* Romuli, *quam* Numae similes *Reges putabat fore*. Liv.

2.) *Aequalis* cum eiusdem aetatis hominem significat seu *Coaevum*, Genitivo iungitur, ut: Grachus *Scipionis aequalis*.

3.) Quando *par* non significat aequalitatem, et ponitur cum verbo *sum*, loco verbi *possum*, tunc loco *par sum onus ferre*, melius dicitur: *par sum oneri ferendo*. Elegantius vero si *par* per Elipsim omittatur; e. g. *nec tu* solvendo *eras*. Cic. *Ea modo*, *quae* restinguendo igni erant, *portantes*. Liv.

4.) *Par*, *dispar*, etiam cum Genitivo occurrunt; e. g. *Neque habent in se quidquam admissum* dispar sui, *atque dissimile*. Cic. Cuius pares Cic. saepius.

3) Quae *aptitudinem* aut *contrarium* significant, ut: *aptus*, *ineptus*, *idoneus*, *accommodatus*, *habilis*, *inhabilis etc.* e. g. *Quod decet*, *id* aptum *est* tempori *et* personae. Cic. *Terra*, quae vitibus apta *est*, *etiam arboribus est utilis*. Colum. *Nihil est* naturae hominis accommodatius *beneficentia ac liberalitate*. Cic. *Decorum id est*, *quod* consentaneum *est hominis* excellentiae. *Falernum mihi semper* idoneum *visum est* diversorio. Cic. *Ille gurges*, *atque helluo*, natus abdomini suo, *non* laudi, *atque* gloriae. Cic.

Nota. *Aptus*, *accomodatus*, *idoneus*, *natus*, *habilis*, *utilis*, etiam Accusativo cum praepositione *ad* iunguntur; e. g. *Pallium* aptum *est* ad omne anni tempus. Cic. *Corporis motus* ad naturam accomodati *sunt*. Cic. *Non essem* ad ullam causam idoneus, *si hoc*, *quod in ipsa natura positum est*, *non viderem*. Cic. *Pompeius vir* ad omnia summa natus. Cic. *Calcei habiles et apti* ad pedem. Cic. *Homo* ad nullam partem utilis. Cic.

4) Quae *gratiam*, *voluptatem*, *favorem*, *amicitiam et contrarium* significant, ut: *gratus*, *iucundus*, *acceptus*, *carus*, *aequus*, *benevolus*, *blandus*, *propitius*, *amicus*. Contr. *molestus*, *acerbus*, *iniquus*, *inimicus*, *infestus etc.* e. g. *Veritas etiamsi iucunda non est*, mihi *tamen* grata *est*. Cic. *Scientiae suavitate nihil est* hominibus iucundius. Cicero. *Nihil est* Deo acceptius, *quam concilia*, *coetusque hominum*. Cic. *Antonius Pius* nulli acerbus, cum iis benignus *fuit*. Eutr. *Atticus non* fortunae *sed* hominibus *solebat esse* amicus. Nep. *Miltiades* amicior *omnium* libertati, *quam* suae *fuit* dominationi. Nep. *Saepe nihil* inimicius homini, *quam sibi ipse*. Cic. Att. *Patriae solum* omnibus carum *est*. Cic. *Omnis voluptas* honestati *est* contraria. Cic. Hamilcar fidenti animo atque infesto Romanis *effecit*, *ut Imperator cum exercitu in Hispaniam mitteretur*. Nep.

5) Quae *facilitatem* aut *difficultatem* indicant; e. g. *verba* innocenti *reperire* facile *est*; *modum verborum* misero tenere *difficile*. Curt. Senioribus gravis *est inveterati moris mutatio*. Idem. In via virtuti *nulla est via*. Ovid.

6) Quae *propinquitatem* significant, ut: *propinquus*, *finitimus*, *vicinus*, *confinis*, *conterminus*, *con-*

iunctus, contiguus, cognatus, socius, familiaris, e. g. Id Deo *est* proximum, *quod est optimum*. Cicero Leg. *Plurimi dicunt, sua* sibi propiora *pericula esse*, quam aliena. Cic. Voluptatibus maximis *fastidium* finitimum est. Cic. *Falsa* veris finitima *sunt. Mala sunt* vicina bonis. Ovid.

Nota. Propior et proximus invenitur etiam cum Accusativo; e. g. *Crassus cum legione septima* proximus mare oceanum hiemabat. Cic. B. G. *Jugurtha* propior montem *cum omni equitatu suos collocat.* Sallust. *Laconicus ager* proximus finem *Megapolitanum est.* Liv. 35. Etiam Linacer et in Thesauro *Robertus Stephanus*, atque alii e Cicerone ipso adducunt: proximus Pompeium *sedebam.* Sed in castigatoribus Edit. est *proxime Pompeium*, nempe: ut *prope et proxime;* sic *propior et proximus* Accusativum regunt.

7) Adiectiva *proprius, communis, affinis, honestus, turpis, foedus, obnoxius, necessarius, superstes* Dativum regunt, e. g. *Nihilne est* proprium cuiquam? Terent. *Quid est* tam commune, *quam spiritus* vivis, *terra* mortuis? Cic. Omni aetati *mors est* communis. Cic. *Ratio proprium hominis bonum est; cetera* illi *cum animalibus* communia *sunt.* Sen. *Non eadem* omnibus *sunt* honesta *atque* turpia. Nepos. *Non minus* principi turpia *sunt multa supplicia, quam* Medico *multa funera.* Sen. *Vide, quot* periculis *simus* obnoxii. Plinius. Oris, *qui vendunt, emunt, conducunt, locant, iustitia* necessaria *est.* Cic. *Vespasianus* uxori *ac* filiae superstes *fuit.* Svet.

Nota. Proprius, communis, affinis (pro particeps), *superstes* etc. etiam Genitivo iunguntur; e. g. Viri propria *maxime est fortitudo.* Cic. *Imprimis* hominis *est* propria *veri inquisitio atque investigatio.* Cic. Amicorum *omnia sunt* communia. Cic. *Accusatores contendunt* affinem *esse* alicuius culpae *eum*, qui accusetur. Cic. *Utinam te non solum* vitae, *sed etiam* dignitatis superstitem reliquissem. Cic.

8) *Verbalia* in *bilis*, item *participalia* in *dus:* e. g. Multis *ille* bonis flebilis *occidit;* nulli flebilior *quam* tibi. Horat. *Hic* tibi *sit potius, quam tu* mirabilis illi. Idem. *O* mihi *post nullos, Juli*, memorande *sodales.* Mart.

Plura ex usu et lectione discenda.

§. III.

A) post Substantiva.
B) post Adiectiva.

Reguntne nonnunquam etiam Substantiva Accusativum?

Sunt primi Subsellii Grammatici, qui existimant Accusativum nonnisi a *praepositione* et *verbo transitivo* regi, et ubicunque Accusativus sine his occurrit, semper praepositionem aut verbum transitivum tacite intelligi. Litem hanc dirimant critici Philologi, quae huc pertinent, sunt fere sequentia:

1) Pronomina *id*, *quid* etc., e. g. *Si hominem id* aetatis in tam longo sermone diutius renuisset. Cic. Rosc. *Quid* tibi aetatis videor? Tale est etiam illud Terentii Adelph. V. *Id* ne estis auctores mihi, fortasse loco. Estisne mihi auctores *ad id?*

2) *Substantivis* nonnullis *verbalibus* nonnunquam adiungitur Accusativus, quem verba, a quibus substantiva haec derivantur, regunt; e. g. *Quid tibi hanc* curatio *est* rem? Plaut. Amph. I. 3. 21. hic Accusativus *rem* videtur regi a substantivo *curatio*, quod derivatur a *curo*, quod regit Accusativum. Idem. *Quid tibi huc* receptio *ad te est* meum virum? Plaut. Asin. pro *receptio mei viri;* et sic plura.

De Accusativo post Adiectiva.

Quae adiectiva adsciscunt Accusativum?

1) Adiectiva, *quibus generalis dimensio* significatur, ad quaestiones: quam *longus*, quam *latus*, quam *magnus*, quam *altus*, quam *crassus* etc. postulant Accusativum certum *magnitudinis*, *modum* aut *spatium* significantem; e. gr. *Carthaginenses ratem* ducentos longam pedes, quinquaginta latam, a *terra in amnem porrexerunt*, *quam pontis in modum humo constraverunt*, *ut elephanti* audacter velut per solum *ingrederentur*. Liv. *Antiochus* fossam, sex cubita altam, duodecim latam, *duxit*, *extra duplex vallum fossae cir-*

cumdedit. Liv. *Milites aggerem* latum pedes trecentos, altum pedes octoginta *exstruxerunt.* Caes. *Perpetuae fossae*, quinos pedes altae, *ducebantur.* Caes. *Arabes gladios habebant tenues*, longos quaterna cubita. Liv.

Nota 1.) Regunt interdum et Genitivum, ut: *Trabs* pedum viginti duorum longa. Cato. *Pyramides quinque: in imo latae* pedum septuaginta quinum. Plin. Nisi fortassis magis placet, Genitivum hic, non tam ab adiectivis mensurae regi, quam a substantivis *trabs et pyramides.*

2.) Quandoque etiam Ablativo iunguntur, ut: longum sesquipede, latum pede. Plin. *Faciemus scrobes* tribus pedibus altas, duobus semilatas, tribus longas. Pallad. in Januar. *Non* latior pedibus quinquaginta. Caesar. *Fossam* sex cubitis altam *quam duxisset.* Liv.

2) Ablativum *partis*, *circumstantiae et adiuncti*, frequenter cum adiectivis nonnullis in Accusativum mutant Poëtae, e. g. Omnia *Mercurio* similis, vocemque, coloremque, *pro* omnibus, voce, colore. Nuda pedem. *Ovid.* nudus membrum. *Virg.* talia sunt: *Aethiops* albus dentes; *Cressa*, genus *Pholoe*, cetera *Graius.* Puer ingenuus vultum. *Hiems* canos hirsuta capillos. Nonnullis hic particula *quoad* subintelligi videtur, ut: albus *quoad* dentes. Cressa *quoad* genus etc.

§. IV.

Ablativus post Nomen.

Admonitio. Ablativus in latina oratione tam frequens est, ut eius usum certis definire regulis difficile sit. Complures grammatici docent, casum hunc semper a propositione aliqua aperte posita, vel occulte subintellecta regi, atque hinc in omnibus Ablativis *causam*, *instrumentum*, *modum*, *pretium*, *partem*, *excessum* et similem *circumstantiam vel adiunctum* significantibus, quin et in ipsis Ablativis, quos Grammatici vocant, *absolute positos*, praepositiones *cum*, *in*, *pro*, *a* vel *ab*, *ex*, *prae etc.* tacite intelligi posse contendunt, e. g. *Naturam expellas* (cum) *furca*, *tamen usque redibit.* Hor. (In) *Medio tutissimus ibis.* Ovid. *Oderunt peccare boni virtutis* (ex) *amore.*

Hor. (Ab) *Usu urbis prohibere peregrinos inhumanum est.* Cic. (Pro) *Viginti talentis unam orationem Socrates vendidit.* Plin. *Honesta mors* (prae) *turpi vita potior.* Tac. (In) *Puncto temporis maximarum rerum momenta vertuntur.* Livius. (A *pro* post) *Nobilium vita, victuque mutato mores mutari civitatum puto.* Cic. Istud quidem faciliori, praesertim in linguas vernaculas traductioni multum servit, neque tamen semper, quaenam propositio intelligatur, divinare licet. Quae praepositiones Ablativum regant: Inst. Gram. Parte I. et II. dictum est; uti etiam de Ablativis *causam*, *instrumentum*, *pretium*, *modum*, *tempus etc.* significantibus. Quae hic recolenda.

De Ablativo post indeclinabile opus.

Quae regulae observandae in constructione indeclinabilis Susbtantivi opus?

1) *Opus* pro *necesse*, accedente verbo substantivo *sum*, Ablativum postulat; nimirum res necessaria ponitur in Ablativum, persona autem in Dativum; e. g. Auctoritate nobis opus est, *et natura*, *usuque callido.* Cic. de Or. Multis *non* duce *tantum* opus est, *sed* adiutorio et coactore. Sen. *Non opus* est *magnis* placido lectore Poëtis. Ovid. Magistratibus opus est, *sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest.* Cic. Leg.

2) Saepe etiam cum substantivis more adiectivorum consentit, neque tamen in casus declinatur; sic Cic. Fam. L. 2. ep. 6. Dux nobis et auctor opus est; et in Plur. *Quarundam rerum nobis* exempla permulta opus sunt. Cicero Inv. *Atticus, quae amicis suis* opus fuerant, *omnia ex sua re familiari dedit.* Nep. Quod si e constructione finita fiat infinita, Nominativum hunc in Accusativum verti debere suapte intelligitur; e. g. *Dices* numos mihi opus esse *ad apparatum triumphi.* Cic. Att. *Oracula responderunt*, Regem *discordiis* opus esse. Just. *Video*, mihi opus esse viaticum. Cic. Att. *Verres aiebat*, multa, *sibi* opus esse, multa *canibus*, *quos circa se haberet.* Cic. Verr.

Nota 1.) *Opus* cum Genitivo raro reperitur, nec videtur usurpandum, e. g. *Aliquantum nobis* temporis et magni laboris et multae impensae opus *fuit*. Plaut. apud Cic. *Temporis* ab *aliquantum* pendet; Genitivi vero *laboris et impensae*, nisi ad *opus* referantur, non video, unde pendeant. *Opus* cum accusandi casu obsoletum est. Plaut. Truc. Puero *opus* est cibum. Nisi *cibum*, ut Vossio videtur, vetus sit Nominativus pro *cibus*.

2.) Construitur *opus a) cum Infinitivo*, *e. g. Quantam curam, diligentiamque adhibuerim*, *nihil* opus est pluribus verbis *commemorare*. Nep. Opus est *hoc* sciri. Ter. *b)* Cum *Ut* sequente coniunctivo, e. g. *Nunc tibi* opus, *aegrum* ut te assimules. Plaut. *c)* cum *Accusativo et Infinitivo*, e. g. *Si quid erit*, *quod* te scire opus sit, scribam. Cic. *d)* per commutationem *Infinitivi in Supinum in U*, e. g. *Ita* dictu (pro dicere) opus est, *si me vis salvum esse*, *et filium*. Terent. *e)* Per commutationem *Infinitivi in Ablativum Participii perfecti passivi*, e. g. *Et*, *priusquam incipias*, consulto (pro consuluisse, vel ut consulueris) *et ubi consulueris*, *mature* facto opus est. Gall. *Quod* parato opus est, para. Terent. Opus fuit Hirtio convento. Cic. Att. *f)* Non raro absolute ponitur, e. g. *Si* opus fuerit, *faciam te certiorem*. Cic.

3.) *Usus* cum *opus* significat, eodem fere modo construitur apud Poëtas, imprimis Comicos, e. g. *Nunc* viribus usus. Virg. *Viginti iam* usus est filio argenti minis. Plaut. *Mihi sic* usus est, tibi ut opus est facto, face. Ter. *An cuiquam* est usus homini, se ut cruciet? Ter. *Ubi summus Imperator non adest*, *citius*, *quod non* facto est usus, *fit*, *quam quod facto est opus*. Plaut. Liv. lib. 3. addit Genitivum pronominis. *Si quis* mei usus est. Cic. 4. Tusc. utitur sine casu: *De ceteris studiis alio loco dicemus*, *si* usus fuerit.

De Ablativo post Adiectiva.

Quae Adiectiva Ablativum regunt?

1) Ablativo iunguntur adiectiva sequentia, quae memoriae iuvandae causa versiculis comprehenduntur:

Extorris, *nudus*, *dignus*, *contentus*, *inanis*,
Atque *refertus*, *inops*, *locuples*, *alienus*, *onustus*,
Immunis, *plenus*, *cassus*, *divesque*, *potensque*.
Tum *fretus*, *vacuus*, tum *captus*, *praeditus*, *orbus*,
Indignus, *liber*, *viduus*, *vilisque*, *gravisque*,
Affectus, *carus*, *venalis*, *turgidus* adde.

E. g. *Hoc iusiurandum* patria extorrem *in tuam regiam adduxit*. Liv. *Urbs* nuda praesidio, referta copiis. *Cic.* Digni *sunt* amicitia, *quibus in ipsis inest causa*, *cur diligantur*. Cic. de Amic. *Si animus tuus satiatus est*, *aut* contentus *etiam* pecunia, dives es. Cic. *Unus ager Agyrinensis centum septuaginta* aratoribus inanior cum sit etc. Cic. Verr. *Lentulus non* inops verbis. Cicero. *Lysias* oratione locuples. Cic. Alienum *est* magno viro, *quod alteri praeceperit*, *id ipsum facere non posse*. Cic. Brut. Onustus dote. Ovid. praeda. Nep. frumento. Cic. auro. Idem. *Cato* omnibus humanis vitiis immunis *semper fortunam in sua potestate habuit*. Vellei. *Omnes mortales* Diis sunt freti. Plaut. *Otium non* gemmis, *neque* purpura venale, *nec* auro. Hor. *Quod non opus est*, asse carum est.

Nota 1.) *Liber*, *vacuus*, *inops*, *orbus*, *extorris*, *securus*, *purus*, *nudus*, *immunis* etiam Ablativum cum praepositione a vel ab recipiunt, e. g. vacui ac liberi *fuerunt* ab omni sumtu. Cic. *Erramus*, *si ullam terrarum partem* immunem a periculo *credimus*. Sen.

2.) Horum nonnulla, praesertim quae ad *copiam* vel contra referuntur, etiam Genitivo, ut superius dictum, iunguntur.

3.) *Alienus* adsciscit etiam *Dativum*, *Ablativum* cum praepositione *a* vel *ab*, rarius *Genitivum*. E. g. *Scio*, *quam sis* ambitioni alienus. Sen. *Homo sum*, *humani nihil* a me alienum *puto*. Ter. A sapiente *nihil tam alienum est*, quam rei falsae assentiri. Cic. Acad. *Quis* alienum putet eius *esse* dignitatis, *quam mihi quisque tribuit*. Cic. Lib. de Fin.

4.) *Dignus*, *indignus* perquam raro cum *Genitivo*, nec facile imitandum. Balb. ad Cic. L. 8. ad Att. *Obsecro te*, *mi Cicero*, *suscipe curam et cogitationem* dignissimam tuae virtutis. Magnorum *haud unquam* indignus avorum. Virg. 12. Aen.

2) Adiectiva *diversitatis et numeralia ordinis Ablativum* cum praepositione *a* vel *ab* admittunt.

a) Adiectiva *diversitatis* sunt: *diversus*, *aversus*, *mutatus*, *alius* etc.; e. g. Aliud a libertate communi *quaerere*. Cic. *Ille* a te diversus *est*. Idem *b)* Adiectiva *ordinis*, ut: *primus*, *secundus*, *proximus*, *alter* etc., e. g. *Annus* primus ab *honorum* perfunctione. Cic. *Imperio et potentia* secundus a Rege. Hirt. de bello Alex. *Tu nunc eris* alter ab illo. Virg.

Nota. Diversus etiam Dativum regit. E. g. *Apparet* diversam *esse* orationi *voluntatem*. Quin. Lib. 8. c. 3.

3) *Comparativo* utimur cum *Ablativo*, quando vel plura diversi generis, vel duo eiusdem aut diversi generis comparantur, e. g. *Nihil est* amabilius virtute. Cic. i. e. quam virtus. Vilius *argentum est* auro. virtutibus *aurum*. Hor.

Istud etiam de *Comparativo periphrastico* intelligendum est, e. g. *Nullum officium* referenda gratia magis necessarium est. Cic.

Nota 1.) Si particulae *quam*, *ac*, *atque* adhibeantur, sequens Nomen cum praecedente casu convenire debet, e. g. Melior, tutiorque *est certa* pax, quam *sperata* victoria. Liv. *Ita sentio*, locupletiorem *esse* latinam linguam, quam Graecam. Cic. Facilius *ediscimus* versus, quam prosam orationem. Quint.

Quodsi vero verbum *est*, *fuit*, vel aliud simile interveniat aut intelligatur, Nominativus in sequenti constructione manet, e. g. Vidi hominem multo, quam Phormio (est), callidiorem; vel: Ego *hominem callidiorem* vidi *neminem*, *quam Phormionem*. Terent. Vicinus tuus *meliorem* habet *equum*, quam tuus est. Cic. male, *quam tuum*.

2.) Nonnunquam comparativis alter etiam *Ablativus* adiungitur significans *causam*, *instrumentum*, *mensuram* excessus vel defectus, aut simile, e. g. *Sol multis partibus maior terra. Hic curis illo lassior est. Longior te digito. Hic minor me est viginti annis.*

3.) Comparativa regunt etiam hos *Ablativos: opinione*, *spe*, *aequo*, *iusto*, *solito*, *dicto*, *nihilo*; *e. g.* Opinione citius *venturus esse dicitur*. Cic. Speque *redit* ci-

tius. Ovid. *Neque etiam verendum est, nequid* plus aequo *in amicitia congeratur.* Cic. *Membrum* longius iusto. Quint. *Sol visus est ruber* solito magis. Liv. Dicto *prope* citius *equum in viam Claudius egit.* Liv. Nihilo plus *fidei habemus.* Cic.

4.) *Paulo, nimio, aliquanto, tanto, eo, quo, multo, hoc* (pro tanto) plerumque comparativis iunguntur, e. g. Quanto superiores *sumus*, tanto *nos* submissius geramus. Cic.

a) Comparativus quoties *non* accipitur distributive, Ablativum habet, e. g. *Nemo* te stultior. Nam distributive acceptus Genitivo iungitur, e. g. Maior iuvenum. Vall. Lib. I. c. 3.

b) Particula *quam* per ellipsim saepe omittitur, praecipue, quando *plus, amplius, minus* interveniunt, e. g. *vulnerantur* amplius sexcenti. Caes. Plus duo millia *hostium ea die caesa traduntur, Romanorum* minus quingenti. Liv. i. e. minus quam quingenti.

5.) *Macte, macti* habent formam Vocativi, iunguntur que Ablativo, e. g. Macte nova virtute *puer, sic itur ad astra.* Virg. Aen. IX. Macte hac gloria. Plinius. Macte animo. Stat. Macti virtute milites Romani este. Liv. Etiam cum Genitivo. Macte o virtutis avitae. Sil. Macte animi. Stat. Sine omni casu. Cic. Att. XV. Macte! Occurrit etiam in Nominativo *mactus* apud Catonem de R. R. 134. *Mactus fereto sis.*

6.) Adiectivis *grandis, grandior, magnus, maior, maximus, minor, minimus* adiungi solet ad aetatem designandam Ablativus *Natu*, e. g. Nihil turpius est, quam grandis natu *senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, praeter aetatem.* Sen. *Ennius* fuit maior natu *quam Plautus et Naevius.* Cic. *Adolescentis est* maiores natu *vereri.* Cic. *Id mea minime refert, qui sum* natu maximus. Ter. *Aliquot annis* minorem natu *non dubitabo monere.* Cic.

CAPUT II.

De Syntaxi Pronominum.

De pronominibus substantive positis Genitivum regentibus, in nominum doctrina, eo quod par horum ratio foret, diximus, ut: *memoria mei*, *vindicta sui*, *satietas nostri etc.* Hoc loco ea universe, quae tam ex legibus *convenientiae*, quam *regiminis* de pronominibus et in specie quidem:

a) de pronominibus personalibus,
b) de pronominibus demonstrativis,
c) de pronominibus possessivis,
d) de pronominibus reciprocis,
e) de pronominibus relativis,
f) de pronominibus interrogativis

sciri debent, pertractantur, caputque hoc in totidem abit paragraphos.

§. I.

De pronominibus Personalibus.

Quid de pronominibus personalibus notandum?

Genitivi pronominum personalium: *mei*, *tui*, *sui*, *nostri*, *vestri*, cum pronominibus possessivis *meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, *vester* confundi non debent. *Possessiva* enunciant rem esse alicuius; contra *personalia*, cui res insit, aut ad quem referatur; e. g. *Pars melior* nostri *animus est*. Sen. *Pars* tui *melior est immortalis*. Id. *Lysander magnam reliquit* sui *famam*. Nep.

Nota. Ita et Genitivi *nostri et vestri* a Genitivis *nostrum et vestrum* recte discernendi sunt, illi subiiciuntur nominibus *affectuum* et similibus, quando passive si-

gnificant. Talia sunt: *Pars*, *dimidium*, *nihil*, *multum*, *plurimum*, *aliquid etc.*, e. g. *Pars* nostri *est sanguis.* Sen. Hi exprimuntur per *inter nos*, *e vobis*, usurpanturque in *partitionibus.* E. g. *Nemo nostrum* (i. e. *e nobis*) *idem est in senectute*, *qui fuit iuvenis.* Sen. *Patria est communis* nostrum *omnium parens.* Cic. *Minus habeo virium*, *quam* vestrum (ex *vobis*, inter *vos*) utervis. Cic.

§. II.

De pronominibus demonstrativis.

Quid de pronominibus demonstrativis?

1) Pronominibus *hic*, *iste*, *ille*, *idem et qui* cum subiecti vices gerunt, concordant cum substantivo seu praedicato suo in casu, numero et genere; e. g. *Idem velle*, *et idem nolle*, ea *demum firma* amicitia *est.* Cic. *Quae* pertinacia quibusdam, *eadem aliis* constantia *videri potest.* Cic.

2) Pronomina *is* et *idem* *) cum coniunctionibus *et*, *que*, (*et is*, *isque*, *idemque*) saepe notant idem, quod *et quidem* (és ugyan, *und zwar*, *a sice*) sic et *nec is*, *nec id*, et ponuntur in casu substantivi sui; e. g. *Nec lubet mihi deplorare vitam*, *quod multi* et ii *docti fecerun* . Cic. *Unam rem explicabo*, eamque maximam. Cic. *Erant in Torquato plurimae literae*, *nec eae* vulgares. Idem. *Crassum cognovi optimis studiis debitum*, idque *a puero.* Cic. *Motus voluntarius est in nostra potestate*, *nobisque paret*, nec id *sine causa.* Cicero.

---

*) *Idem* post se habet saepe numero, *qui*, *et*, *ac*, *atque*, e. g. *Peripatetici quondam* iidem *erant*, qui *Academici.* Cic. *Animus erga te* idem, *ac fuit.* Ter. *Unum* et idem *videtur esse.* Cic. *Dianam et lunam* eandem *esse dicunt.* Cic. Poëtae autem Graecorum more etiam iungunt Dativo; e. g. Invitum qui servat: *idem facit occidenti. Idem cum illo*; *e. g. Vates Andinus est*, idem cum Virgilio, vulgo quidem dicimus, sed sine Classicorum Scriptorum exemplo.

3) *Is, ea, id* plerumque omittitur, si relativum *qui, quae, quod* ad illud refertur, praecipue si utrumque eiusdem est casus, e. g. *Lauda* (subintelligitur id) *quod laudem meretur. Deum colit, qui novit.* Seneca. *Quod non dedit fortuna, non eripit.* Idem.

4) *Hic, ille. Hic* ad proximum, *ille* ad remotius nomen refertur; e. g. *Idem et docenti, et discenti debet esse propositum; ut* ille *prodesse velit*, hic *proficere.* Sen.

5) *Ipse, (maga, selbst, sam),* 1) Personam primariam designat, si ante de comitibus aut rebus eius sermo fuit, exprimitque vernaculum *ő maga, er selbst, on sam.* 2) Ponitur in casu subiecti, si vernaculum *maga, selbst, sam,* ad subiectum refertur; sin ad obiectum in eodem cum illo casu ponitur: e. g. *Caesar legatum cum tribus legionibus praemisit;* ipse *autem secutus est.* Caes. *Virtus est per se* ipsa *laudabilis.* Cic. Se ipsos *omnes natura diligunt.* Idem.

6) *Aliquis* et derivata *aliquo, aliquando* priores Syllabas *ali* abiiciunt post particulas *si, nisi, ne, num, quo quando;* sequente autem relativo *qui, quae, quod, aliquis* saepe omittitur: e. g. *Danda opera est*, nequa *amicorum causa dissidia fiant.* Cic. *Demosthenes dolere se, aiebat,* siquando *opificum antelucana victus esset industria.* Cic. *Non facile est invenire*, (aliquem) *qui, quod sciat ipse, non tradat alteri.*

§. III.

De pronominibus possessivis.

Quid de pronominibus possessivis?

1) Possessivorum usus in vernacula est longe creberrimus, quae latinus sermo non exprimit, nisi perspicuitatis, gravitatis aut oppositionis gratia; e. g. *In literis consumo omne* (meum) *tempus.* Cic. *Manlius virtutem filii* (sui) *morte mulctavit.* Quintil. *Septem Graeciae sapientes omnes praeter Milesium Thalem civitatibus* (suis) *praefuerunt.* Cic. *Tam mihi* mea *vita quam tibi* tua *cara est.* Plaut.

2) Inter possessivum eiusque substantivum Genitivus saepe interseritur substantivum explicans, cuius vices possessivum gerit; e. g. Meum solius *peccatum corrigi non potest.* Cic. *Cicero iuravit* sua unius *opera rempublicam esse salvam.* Idem. *Cum nemo mea scripta legat vulgo recitare* timentis. Horat.

Nota. Genitivus *omnium* cum possessivis non facile legitur, sed cum primitivis; e. g. *Ad* omnium vestrum vitam pertinet. Cic. *Voluntati* vestrum omnium *parui.* Cic. (Idem) non *vestrae*, ut est in nonnullis editionibus.

§. IV.

De pronominibus reciprocis.

Admonitio. Si uspiam locus est monito: *Quidquid praecipies, esto brevis;* certe in reciprocorum doctrina praeceptionum parcum esse, usuique, ac lectioni bonorum auctorum relinqui plurimum oportet. Quidam rem totam praecepto unico plane explicant.

Nisi amphibologia vel coniunctio copulans intercedat, nunquam non reciproco utendum. Quod viris fortasse, non item tironibus satisfaciat. Alii quidam viginti e *Despauterio* regulas congerunt, quas si pueris exhauriendas obtruseris, id demum consequere, ut tot usque laqueis confusi, anxii, nec exitum videntes, ipso errandi metu errent. Paucis itaque, ac certis regulis viam tironi praesignandam duximus. In eam vero rem praemonendi sunt:

1) Pronomina *reciproca* a demonstrativis probe discernenda esse. Pronomen *sui*, *sibi*, *se* et *sese*, et inde derivatum *suus, a, um,* reciproca sunt, h. e. referuntur ad subiectum seu nominativum enunciationis (constructionis) vel si accusativus cum infinitivo adsit, ad accusativum subiecti. Causa contra pronominis demonstrativi *eius, ei, eum, eorum* etc. ad aliquid a subiecto diversum pertinent. In vernacula saepe utrumque, tam reciprocum, quam demonstrativum, eodem verbo exprimitur.

2) Haec reciproca saepe fieri in una constructione, e. g. *Omne animal se ipsum diligit.* Cic. subinde in duabus cohaerentibus, e. g. *Nemo est tam senex, qui se annum non putet posse vivere.* Cic.

3) Nunquam ad primam, vel secundam personam fieri *reciprocationem*, sed tantum ad tertiam; etsi enim recte dicatur: ego mihi *consulam*; tu te *respice*; hic tamen proprie sermonem esse de reciprocis tertiae personae: *se, sui, sibi, secum, et suus, a, um*; barbara igitur sunt: *dedi sibi, dixi sibi, fui secum, novi suum patrem*; recte vero: *Caius res suas curat.* His praemissis regulae nonnullae de reciprocis *) captui tironum adcommodatae subiiciuntur.

Quae praecipuae de recto Pronominum Reciprocorum usu regulae?

I. *Reciproco* Primitivo *sui, sibi, se* utimur, quum:

a) Vel *tertia persona* immediate transit in se ipsam sive in *recto*, sive in *obliquo*, ut: *Caesar recordatur* sui; *indulget* sibi; *amat* se; *loquitur* secum. *Eorum est haec querela, qui* sibi *cari sunt*; seseque *diligunt.* Cic. *Ipse* sibi *displicèt.* Idem. *Habetis ducem memorem vestri, oblitum* sui. Idem. *Iustitia propter* se se (i. e. iustitia) *colenda est.* Cic. *Saepe in* magistrum *scelera redierunt* sua. Sen. (i. e. magistri)

*) Doctrina quidem haec de *Reciprocis* ad *convenientiae* potius, quam ad *regiminis* Syntaxim pertinet, duplexque est convenientia haec: una in genere, numero, casu, aut persona, altera autem in reciproci consensu cum nomine, aut pronomine; ad universam tamen *Pronominum Syntaxim*, uni quasi obtutui subiiciendam, ea, quae naturali ordine sibi mutuo iuncta sunt, separata, ac discreta proponere haud lubuit. Non quaeritur hic, ad quem casum reciproca poni debeant; nam istud commune habent cum ceteris nominibus, sed quis eorum *rectus usus*? de quo hic paucis.

Dionysius *cultros metuens tonsorios*, *candente carbone* sibi *adurebat capillum*. Cic. (e. Dionysio.)

b) Vel cum actio posterioris verbi transit in tertiam personam verbi prioris, ut: *Orare iussit* hera *Chrysidem*, *ut ad* se veniret scil. *ad orantem heram*. Bonus pater *intelligit*, *omnes aeque filios ad se pertinere*, scil. ad patrem. Multi *nil rectum*, *nisi quod placuit sibi*, ducunt. Liv. *Lunam* sol *nunquam implet*, nisi *adversam* sibi (i. e. soli.)

Nota 1) Reciprocum *sui*, *sibi*, *se*, tum praecipue locum habet, cum sequens constructio continet Accusativum cum infinitivo, seu cum coniunctio *quod* omittitur, et voculae in vernaculo *hogy ő*, *dass er*, *dass sie*, *že on*, ad Nominativum subiecti praecedentis constructionis referuntur, e. g. *Post excessum suum* Romulus *Proculo Iulio dixit*, *se Deum esse*, *et Quirinum vocari*.

Nota 2) Quodsi duae tertiae personae interponantur, reciprocum plerumque ad priorem referri solet. E. g. *Scripsit filius*, *se idcirco ad Brutum profugere voluisse*, *quod*, *cum sibi negotium daret Antonius*, *ut eum dictatorem efficeret*; *praesidium occuparet*, *id recusasset*. Cic. ad Att. I. 15. ep. 9. Hic *sibi* ad filium refertur, *eum* ad Brutum.

Nota. 3) Saepissime constructio subiectum habet, ad quod tanquam proximum reciprocum referri debeat; at sensus, et contextus docet, ad praecedens referri. Ubi igitur nulla oritur ambiguitas, reciprocum etiam ad remotius subiectum prioris constructionis referri potest, saepe etiam pleniorem, quam demonstrativum, sensum efficit. E. g. *Herculi Eurystheus* Rex imperavit, ut arma Reginae Amazonum sibi adferret. Iust. *Themistocles domino navis*, *quis sit*, *aperit*: *multa pollicens*, *si se conservasset*. Nep. (i. e. Themistoclem.)

Saepe in simili casu, ut occurratur ambiguitati, pronomen *ipse* adhibetur. E. g. *Iugurtha legatos ad Consulem mittit*, *qui ipsi liberisque vitam peterent*. Sal. *Hic sibi* pro *ipsi* facile ad Consules referri posset. *Vas factus est alter*, *ut si ille non revertisset*, *moriendum esset* ipsi. Cic. 3. off. scil. *vadi*.

II. *Reciproco suus* utimur, quum:

a) Vel tertia persona immediate transit in rem a se possessam, ut: *Cicero recordatur tironis liberti* sui; *indulget liberis* suis; *defendit* suos *clientes; scripsit hanc epistolam manu* sua. Sic: *Si ferae partus* suos *diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus?* Cic. de Orat.

b) Vel quum actio posterioris verbi transit in personam prioris, tanquam in possidentem, ut: *Timet Pompeius, ne se veterani* sui *deserant. Orator sagaciter pervestigat, quid* sui *cives cogitent, opinentur, exspectent.* Cic. de Orat. *Qui totos dies praecabantur, et immolabant, ut sibi liberi* sui *superstites essent, superstitiosi sunt appellati.* Cic. de Nat. D. *Populus Romanus Consules hoc nomine appellavit, ut consulere se civibus* suis *debere meminissent.* Flor. *Utile est reipublicae, nobiles homines esse dignos maioribus* suis. Cic. *Homerum Colophonii civem esse dicunt* suum. *Smyrnei vero* suum *esse confirmant.* Idem *Iulius Caesar appellationem mensis e* suo *nomine decerni passus est.* Svet.

III. Si pronomen vernaculum ad subiectum antecedentis enunciationis refertur, et per *suus, sua, suum,* reddendum ambiguitatem pariat, per *ipsius,* et *ipsorum* effertur. E. g. *Nabarzanes et Bessus Artabasum orabant, ut causam* ipsorum *tueretur.* Curt. *Ea molestissime ferre homines debent, quae* ipsorum *culpa contracta sunt.* Cic.

Nota 1) Innumera in Cicerone, Caesare, Livio, etc. exstant exempla, ubi *suus, a, um* pro *eius,* vel *ipsius,* et *eorum,* vel *ipsorum;* quia nulla inde ambiguitas oritur, ponitur; sic in illo Ciceronis 3. offic. *Pythius piscatores rogavit, ut ante* suos *hortos piscarentur:* hic proprie *suos ad piscatores* ob subiectum verbi *piscarentur* vicinius referri deberet; contextus tamen ad subiectum antecedentis enunciationis, nempe *Pythius* pertinere docet. *Universus exercitus oravit me, ut suam* (pro *eius, vel ipsius*) *causam apud te agerem.* Liv. Apud Caesarem B. G. I. 44. inter cetera ait Ariovistus, *nos* (Romanos) *esse iniquos, quod in suo iure se inter-*

pellaremus, pro in *ipsius* iure. *Medeam praedicant in fuga fratris sui membra in iis locis, qua* se parens persequeretur, dissipavisse. Cic.

Nota. 2) Sed nec desunt exempla, ubi probati scriptores utuntur demonstrativis *is*, *ille*, etc. pro *reciprocis.* E. g. Cic. in epist. *Camillus mihi dixit, te locutum esse cum eo: pro* secum. Nec dubitat et alibi sic loqui idem Tullius, ut: *Deum agnoscimus in operibus* eius; item: *Omnes boni, quantum in ipsis fuit, Caesarem occiderunt.* Similiter Nepos in Annibalis vita: *Gortynii templum magna cura custodiunt, nequid ille inscientibus* illis *tolleret;* rursus alibi: *At Eumenes, soluta epistola, nihil in ea reperit, nisi quod ad irridendum eum pertineret.* Priori loco *inscientibus se;* altero: *ad irridendum* se poterat dicere. Fit nimirum haec commutatio, quando locutione eiusmodi sermo non redditur ambiguus. Qua in re sanum, rectumque iudicium plus, quam multae valent regulae.

Nota. 3) Quoties Nominativus, et Accusativus praecedit praepositionem *inter*, reciproco utuntur auctores, ut: *pueri valent:* et inter se amant. Cic. Item: *Damonem, et Pythium ferunt hoc animo* inter se *fuisse. Idem.* Si vero praecedit Genitivus, Dativus, vel Ablativus; tam *demonstrativis*, quam *reciprocis* uti solent, frequentius tamen demonstrativo: *inter ipsos*, e. g. *quorum* summum quondam inter ipsos *odium meministis.* Cic. Terentius vero: *Vetus verbum, communia esse* amicorum inter se *omnia;* praec. Dat. Grammaticis inter ipsos et Philosophis *pugna est.* Quint. pro quo usitatius diceretur: inter se. *Latissime patens* hominibus inter ipsos *societas haec est.* Cic. praec. Abl. ut cum ait Fabius: *In magnis auctoribus incidunt vitiosa aliqua, et* a doctis inter ipsos *etiam mutuo reprehensa.*

Nota 4) In *Reciprocatione* simplici, si praepositio intercedat, tum promiscue vel reciprocum *suus*, vel Genitivum pronominum demonstrativorum *is*, *ille*, *ipse*, adhiberi posse Grammatici docent, ut: *cepi, cepisti, cepit columbam cum pullis* eius, *in nido*, eius, *vel cum pullis* suis *in nido* suo. Nam ubi prima est, vel secunda persona, ibi non est periculum ambiguitatis, sicut etiam in tertiis personis saepe sermo dubius esse non

potest, adeoque non refert reciproco, an quo alio pronomine utaris.

Si tamen addatur nomen adiectivum, participium, aut verbum, ad quod referatur possessio, reciproco *suus*, *a*, *um*, utere; e. g. *Incidit in leonem iratum ob amissam praedam* suam. *Video columbam tristem in periculo pullorum* suorum. *Scio illum dolere ob fortunam* suam. *Video hominem ambulantem per domum* suam.

Nota. 5) Quando in *reciprocatione* simplici sunt personae tertiae, et possessio ad personam secundo loco positam refertur; vitandae ambiguitatis gratia adhiberi solent Genitivi demonstrativorum, ut: *Vulpes cepit gallinam cum pullis* eius, scilicet *gallinae*. Si vero possessio referatur ad personam primo loco positam, *suus*, *a*, *um*, potius usurpatur. E. g. *Deus tuetur hominem propter bonitatem* suam, scilicet *Dei tuentis*.

IV. Si copula intercedat, reciprocum non habet locum. Ita sine copula dicimus: *cepi columbam cum pullis* suis. Cum copula autem: *cepi columbam*, *et pullos* eius, *non suos*.

Nota 1) Quando de duobus loquimur, pronomen *reciprocum* refertur ad principale subiectum verbi, seu *Nominativum*; demonstrativum autem respicit *obliquum* a verbo gubernatum, ut: *Pater arcessit villicum*, *et filium suum*, hoc est: *patris*. *Sed pater arcessit villicum et filium* eius, hoc est: *villici*.

Nota 2) Possessivum *suus*, *a*, *um* interdum non est reciprocum, sed accipitur pro eo, quod est latinis *proprius*, *tulajdon*, *sein*, *eigen*, *wlasnj*. E. g. *Annibalem sui cives* e civitate eiecerunt. Cic. *Trahit sua quemque* *) *voluptas*. Virg. Suus *cuique mos est*. Ter. *Quisque suos patitur manes*.

Nota 3) Interdum etiam *suus* est quasi substantivum e. g. *Reperi eum inter* suos, *vel cum* suis. *Quaesivit*, *salvusne esset Clypeus? quum salvum esse flentes sui respondissent*, *rogavit etc*. Nep.

---

*) *Quisque et unusquisque* semper reciproco pronomine gaudent, e. g. quisque sibi *placet*, *et sapiens* sibi quisque *videtur*. Est suus unicuique locus. Hor. l. 1. sat. 9.

§. V.

De Pronominibus Relativis.

Quando Relativum q. q. q. usurpatur pro Pronomine personali, vel demonstrativo?

Ubi conjunctivae particulae *et*, *vero*, *enim*, *igitur* supprimuntur. — Istud exemplis fiet clarius:

1) Relativum ponitur pro: *et ego*, *et tu*, *et is*, etc. per omnes casus, e. g. *Epaminondas Philosophiae praeceptorem habuit Lysim; cui* (et ei) *sic fuit deditus, ut eum omnibus anteposuerit.* Nep. *Obitum filiae tuae graviter tuli, qui si* (et si ego) *adfuissem, coram meum dolorem tibi declarassem.* Cic. *Aeneas adversus Mezentium bellum gessit: in quo cum* (et cum in eo) *ipse occidisset, in locum eius Ascanius filius successit.* Iust.

2) — — pro: *ego vero*, *tu vero*, *is vero*, etc. per omnes casus v. g. *Annibal tres exploratores ad Scipionis castra misit, quos* (eos vero) *captos circumduci per castra iussit.* Eutr. *Habes me tibi amicissimum, quem si* (si vero me) *irritaveris, habebis inimicissimum.* Cic.

3) — — pro: *is enim*, *ego enim*, etc. v. c. *Animum rege, qui nisi* (nisi enim is) *paret, imperat.* Hor. *Omnia sunt mea culpa commissa, qui ab his me amari putabam*, putabam enim, me ab his amari *qui invidebant.* Cic.

4) — — pro: *si igitur*, *ego igitur*, etc. v. g. *Magna vis est conscientiae, quam qui* (qui igitur eam) *negligunt, se ipsi saepe iudicant.* Cic. *Nunquam esuriens Ptolomaeus ederat, cui cum* (cum igitur ei) *peragranti Aegyptum cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius.* Cic.

Nota 1) Relativum in Nominativo, et Ablativo cum *sum* saepe ponitur pro praepositione *pro.* e. g. *Spero, quae tua prudentia, et temperantia est, te iam bene valere.* Cic. i. e. (pro *tua prudentia, et temperantia.*)

Nota 2) *Quicunque*, et *quisquis*, a *qisque*, et *quilibet* in usu probe discernenda sunt. Illa significant; *akárki*, *akármelly*, *wer immer*, *wer er auch sey*, *er sey*

wer er wolle, gedenkažd j; haec kiki, minden, ein jeder, každi. E. g. *Sua* quisque *debet tueri. Cic.* Quaecunque *opinio veritati repugnat, falsa est.* Sen. Quidquid *ad summum pervenit, ad exitum properat.* Idem.

§. VI.

Quibus modis verborum iunguntur Pronomina Interrogativa?

Pronomina interrogativa, quae *directam* interrogationem faciunt; seu, ut Instit. Gram. Part. II. pag. 264. dictum est, quae sunt *actu interrogantia*, ponuntur cum Modo indicativo, e. g. Quae *amicitia esse potest inter ingratos?* Quid interest *inter periurum, et mendacem?* Quid faciet *is homo in tenebris, qui nihil timet, nisi testem, et iudicem?* In interrogatione autem *indirecta* sequitur coniunctivus, e. g *Quid quaeque nox aut dies* ferat, *incertum est.* Qualis sit *animus, ipse animus nescit.*

Admonitio. Idem notandum esse de Adverbiis Interrogativis: *cur*, *ubi*, *unde*, etc. Part. II. c. I. hoc monuimus, quod loco hoc tanto magis tironibus inculcandum erit, quanto crebrius, turpiusque contra generalem hanc de interrogativis regulam non ab adolescentulis solum, sed et viris, quin in editis etiam libris peccatur. Quid autem *sit Interrogatio directa*, quid item *indirecta*, uno, alterove exemplo, facile illustrabit Magister. E. g. *Num terra ubique est aequa, et plana? est* interrogatio directa. *Olim quaestio erat; num terra rotunda esset*, est interrog. indirecta. Sic. *Nostine hominem istum?* Interrog. indirecta. *Quaeritur, nunquamne fuerint Monocerotes*, indirecta, etc.

CAPUT III.

DE SYNTAXI VERBORUM.

Admonitio.

Caput hoc complectitur materiam doctrinae multo uberrimam, qua videlicet rectae latinitatis maxima pars nititur: nunquam enim integra sententia sine verbo, vel aperte posito, aut per figuram ellipseos subintellecto, ex solis constat nominibus, sed cum nominibus certa quadam ratione verba, quod Syntaxis docet, coagmentantur. Nomen et verbum sunt partes orationis principales; reliquae minus principales. Quibus hae Syntaxeos partes non satis familiariter notae sunt, eos maxima etiam I-mo, et II-do Grammatices anno bonorum vocabulorum copia procurata, quia certam structurae rationem ignorant, non fuisse latine ausos loqui aut scribere, comperimus; quibus opera omnis collata in bonas literas, unam hanc ob causam in irritum abierat, quod Syntaxim, verborum imprimis, non accurate didicerant. Quare tamdiu in hac parte Grammatices alumnus detinendus videtur, dum omnes huc pertinentes regulas cognoverit, et tanquam Architectum orationis se profiteri ausit. Quare data hic inprimis fuit opera, ut 1) omnia ea, quae ad Syntaxim verborum pertinent, ordinata in §-phos quosdam divisa iuventuti proponerentur. 2) Quia, teste Seneca ep. 6. *longum iter est per praecepta, breve et efficax per exempla*, ut singula exemplis non aridis, ieiunis, maneis phrasibus, non verbis sine re, sed, quantum quidem fieri potuit, ex castigatissimis auctoribus desumtis illustrarentur, iisque talibus, in quibus iuventus praeter linguae latinae culturam, et proprietatem, regulas item, ad quas explicandas, atque firmandas adducuntur, alium etiam perciperet fructum; exemplis

nempe explanatis mores conformare, praeceptionesque in usus vitae futurae convertere commoneretur. Caput porro hoc, quo maximi momenti doctrina Syntaxeos continetur, omnes partitiones, regulas, et exceptiones de constructione verborum sequentibus IV. absolvit §-phis.

I. De verborum temporibus, eorum recta consecutione, et accurato modorum usu.

II. De Syntaxi verborum finitivorum personalium transitiva, et in specie quidem:

a) cum Genitivo.
b) cum Dativo.
c) cum Accusativo.
d) cum Ablativo.
e) cum Nominibus temporum, et locorum.

III. De Syntaxi verborum infinitivorum; et quidem:

a) Infinitivorum ipsorum.
b) Gerundiorum.
c) Supinorum.

IV. De Syntaxi verborum impersonalium: tam activae, quam passivae vocis, et quidem primum universe, deinde vero:

a) cum Genitivo.
b) cum Dativo.
c) cum Accusativo.

§. I.

De verborum temporibus, de recta temporum consecutione, et de modis verborum.

Admonitio. Praecedente Sectione I. in Syntaxi *Intransitiva de* recto *numeri et personae* verborum usu ea, quae ad duo haec *accidentia* verbi cum *Nominativo* recte concordanda pertinent, dicta sunt. Plus negotii tironibus facessunt rectus *Modorum et Temporum usus*, rectaque *Temporum Consecutio*, qua in re et eruditos saepe offendere advertimus. Quapropter doctrina haec de *verborum temporibus; de recta temporum consecutione*,

modorumque usu, quae in plerisque adhuc Grammaticis desiderantur; Syntaxi verborum personalium, et impersonalium, quia in utrisque magnus eius usus est, hoc loco praemittitur, exemplisque Auctorum Classicorum, quae unica ratio est linguae latinae recte tradendae, illustratur.

Quid observandum apud Latinos de Temporum propria vi, et usu?

1) *Praesenti* utimur, cum res nunc geritur, aut geri incipit; licet vernacula eam saepe per imperfectum exprimat v. g. *Quis non* admiretur *splendorem, pulchritudinemque virtutis?* Cic.

Nota. Historici latini, uti etiam in linguis vernaculis, narrationibus, et praesertim in descriptionibus praesenti utuntur pro *Imperfecto*, *vel Perfecto*, ut res agi nunc coram lectoribus videantur. v. g. *Triginta rectores reipublicae Atheniensis* constituuntur, qui fiunt *tyranni.* Iustin.

2) *Imperfectum* loquitur de actione nondum finita, sed adhuc durante, eiusque usus idem, qui in vernacula, scilicet in narrationibus. Sed ut appareat *Imperfectum* de actione adhuc durante loqui, additur actio alia, quae simul fiebat. E. g. *Dum* scribebam, *pater* advenit.

Nota. 1) Saepissime tamen *Imperfectum* cum relatione ad *Perfectum* usurpatur. Latini nempe Scriptores in narrationibus actionem principalem per *Perfectum* exprimunt; secundariam vero, quae solum explicationi, aut praeparationi inservit, per *Imperfectum.* E. g. *Phaebidas Lacedemonius*, *cum exercitum Olynthum* duceret, *iterque per Thebas faceret*, *arcem oppidi*, *quae Cadmea appellatur*, occupavit. Nep.

Nota 2) Latini in epistolis solent rem, vel actionem praesentem, si mutationi obnoxia est, atque ita mutata esse, vel praeteriisse potest, antequam epistola amico reddita sit, *Imperfecto* tempore exprimere; saepe etiam *Perfecto.* E. g. *Summa cura* exspectabam *adventum Menandri*, *quem ad te miseram. Cic. Rem te valde bene* gessisse, *rumor* erat. Cic. *Natalis tuus me admonuit*, scripsi *enim haec ipsis Megalensibus.* Cic.

3) *Perfectum* loquitur de actione plane finita, ita tamen, ut in eodem contextu non addatur, aliam secutam esse. Hinc narrantes hoc tempore libenter utuntur, cum narrare volunt, quid per se factum sit. E. g. *Annibal quotiescunque cum Romanis* congressus est; *in Italia semper* discessit *superior*. Nep.

Nota. Perfectum Coniunctivi saepe pro *Praesente Coniunctivi*, et pro *Imperativo* usurpatur, ubi vernacula Imperativum ponit. V. g. *Quod dubitas*, *ne* feceris pro: *ne facias vel fac. Forsitan quispiam* dixerit pro: *dicat. Ars oratoria*, *quam sit facilis*, *tu ipse* videris. Cic. *Hoc sine ulla dubitatione* confirmaverim. Cic.

4) *Plusquamperfectum* indicat plus, quam perfectum. Loquitur non modo de actione finita, sed addit quoque statim aliam actionem, quae illam secuta est. E. g. *Cum hoc* audissem, gaudebam. *Pyrrhus cum in templum Iovis* venisset, ibi Lanassem *neptem Herculis* rapuit. Iustin.

Nota. Nonnunquam *Plusquamperfectum Indicativi* pro *Plusquamperfecto Coniunctivi* ponitur. E. g. *Populus Romanus*, *Caesare et Pompeio trucidatis*, *in statum pristinae libertatis redierat* (pro *rediisset*) *nisi aut Pompeius liberos*, *aut Caesar haeredem reliquisset*. Flor.

5) Latini tria habent *Futura*: *Indicativi Futurum a) simplex*, *b) periphrasticum*, *et c) exactum*. *Futurum simplex Indicativi (amabo) et b)* periphrasticum seu compositum *(amaturus sum)* loquitur de actione futurorum simpliciter, ita, ut vel nulla alia actio addatur, vel tantum, quae cum illa simul fiat. V. g. *Si cras* proficiscar, *ad te ante* veniam.

Nota 1) Haec duo futura non semper permutari inter se possunt. Si solum voluntatem, vel conatum aliquid agendi exprimere voles, *Futuro composito* uteris. E. g. *Cum examen apum* exiturum est, *solent praeire signa. Cum iam* evoluturae sunt, *consonant vehementer*. Cic.

Nota 2) *Futurum simplex* indicativi saepe pro imperativo ponitur, humanitatis gratia, aut in fiduciae signum. V. g. *Valebis*, *meaque negotia* videbis (pro *vide*,) *meque*, *Deo iuvante*, *ante brumam exspectabis*.

Nota 3) Futurum verbi *volo* pro vernaculo praesenti libenter usurpant latini, si futurum sequatur, aut Coniunctivus. E. g. *Ut* voles, *me esse*, *ita ero*. Plaut. *Qui adipisci veram* gloriam volet, *iustitiae fungatur officiis*. Cic.

Nota 4) *Futurum exactum* (*amavero*, *amaturus fuero*) *est Futurum Indicativi*, *non Coniunctivi*. Loquitur quidem de actione futura, at, quia statim alia, quae post illam fiet, additur; illa respectu huius consideratur tanquam iam perfecta, et finita. Vernacula hic saepe praesenti, perfecto, aut futuro simplici utitur. E. g. *Ubi librum* legero, *eum tibi* mittam. *Ut sementem* feceris, *ita* metes. Cic.

Nota 5) *Futurum exactum Coniunctivi* in activo exprimitur *per Plusquamperfectum Coniunctivi*, *aut si* a particula *ut* vel *quin* regitur, et dicere volumus, quid alia causa facturi fuissemus, per *participium* in rus cum *fuerim*; in passivo vero aut deponente *participium perfecti* cum *forem* usurpatur. V. g. *Annibal promisit Gallis*, *non se* stricturum *ante gladium*, *quam in Italiam* venisset, Liv. *Quis dubitat*, *quin si Saguntinis obsessis impigre tulissent Romani opem*, *totum in Hispania bellum* aversuri fuerint, Liv. *Si tantum militum Romanorum fuisset*, *ut et Chalus*, *et Euripus teneri potuisset*, *et Chalus*, *et Euripus ademta regi* forent. Liv.

Nota 6) *Futurum exactum* in infinitivo exprimitur per participium futuri addito *fuisse*. *E. g. Num censes*, *commentitiis rebus Thalem*, *aut Anaxagoram* credituros fuisse?

Nota 7) *Futurum infinitivi* passivi tripliciter exprimi potest. Si solum innuit, quid futurum sit, usurpatur vel *fore ut*, cum coniunctivo, vel *participium perfecti vel fore*; si vero innuit, quid agere velimus, *supinum* addito *iri* ponitur, e. g. *Otho imperator speraverat fore*, *ut adoptaretur a Galba*. Svet. *Aristoteles ait se videre brevi tempore philosophiam absolutam fore*. Cic. *Simo adierat*: non datum iri *filio uxorem suo*. Ter.

Quae de recta consecutione temporum notanda?

In enunciationibus (*constructionibus*) quae per *ut*, *eo*, *quo*, *quin*, *qui*, *quae*, *quod*, aliasve particulas coniunguntur, solent Latini certum quemdam ordinem servare, quo tempera verborum se excipiant. In universum regula haec obtinet: si vel *praesens*, vel *futurum* praecessit, *praesens* sequitur: sin *imperfectum*, *perfectum*, *aut plusquamperfectum* praecessit: sequi solet *imperfectum*. Simul tamen propriae temporum notionis ratio habenda est; hinc nonnullae exceptiones occurrunt.

1) *Praesens* post *Praesens*, si scilicet de re praesente sermo sit, licet vernacula saepe *Imperfecto* utatur. E. g. *Non* sum *tanto ingenio*, *ut oblivionis artem*, *quam memoriae*, malim. Cic. *Nulla est civitas*, *quae non et improbos cives aliquando habeat*. Liv. *Quis est*, *qui non beneficus videri* velit. Sen.

Exceptio. At *Perfectum* vel *Futurum* sequi debet, si de re *praeterita*, *vel futura* sermo sit, licet in vernacula saepe sit plusquamperfectum, e. g. *Neminem esse oratorem paulo illustriorem arbitror*, *quem non et saepe*, *et diligenter* audierim. *Quid* casurum sit, *incertum est*. Idem.

2) *Praesens* post *Futurum*, si de re *praesente* sermo sit, ubi vernacula saepe imperfecto utitur. V. g. *Nemo erit*, *qui* censeat, *a virtute recedendum esse*, Cic. ad Her.

Exceptio. At *Perfectum* sequitur, si de re *praeterita* sermo sit, ubi vernacula *saepe* plusquamperfectum habet. E. g. *Nihil ex sapiente viro discet adolescens*, *quod nescisse rectius* fuerit. Plin.

3) *Imperfectum post Perfectum*. E. g. *Apelles pictores eos peccare* dicebat, *qui non* sentirent, *quid* esset *satis*. Cic.

Nota. Nonnunquam et *Plusquamperfectum*, si res ante fuit, quam ea, quae per imperfectum enunciatur. E. g. *Quae te ratio in istum spem induxit*, *ut eos fideles putares fore*, *quos pecunia* corrupisses. Cic.

4) *Imperfectum post Perfectum.* E. g. *Philosophi quidam* sunt reperti, *qui negarent, Deum habere curam rerum humanarum.* Quintil. *Leges* sunt inventae, *quae cum omnibus semper una atque eadem voce* loquerentur. Cic.

Nota 1) *Praesens* sequitur, si effectus in tempus praesens cadit. E. g. *Traianus rempublicam ita administravit, ut omnibus principibus merito* praeferatur. Plin.

Nota 2) *Perfectum* loquitur, si de re praeterita sermo sit, ubi vernacula saepe plusquamperfecto utitur. E. g. *Nulla unquam* fuit *tam imbecilli animo mulier, quae non aliquando lugendi finem* fecerit. Cic.

Nota 3) Etiam *futurum*, si futurum solum spectatur. E. g. *Perfidia tua perfecisti, ut nemo tibi in posterum fidem* habiturus sit.

Nota 4) *Perfecta* coniunctivi, si pro praesentibus usurpentur. E. g. Dixerit *aliquis, pro dicat*, non inter perfecta hic referuntur; hinc recte dicitur: *si quis me* rogaverit, (id est) *roget*, ut veniam, (non *venirem.*)

5) *Imperfectum* post *Plusquamperfectum.* E. g. *Aurum, argentum, aes, ferrum, frustra ratura* genuisset, *nisi eadem* docuisset, *quemadmodum ad eorum venas* perveniretur. Cic.

Quid observandum in modis verborum recte adhibendis?

I. *Indicativus* ponitur, quoties res evenire, vel agi dicitur simpliciter, hoc est: certa, indubitataque ratione.

II. *Coniunctivus*, qui et *subiunctivus*, et *potentionalis* dicitur, locum habet, quoties res cum aliquo modo, h. e. cum aliqua conditione possibilitatis, necessitatis, officii, incertitudinis, voluntatis, etc. enunciatur.

1) Id fit saepissime, si *quin* particula praefigatur. V. g. Quis dubitet, *quin in virtute divitiae sint. Quis sapiens bono* confidat *fragili? ut* desint *vires; tamen est laudanda voluntas.* Ovid.

Praefixis particulis *ut, ne, quo, quin, utinam, o! si, licet, quasi, cum* (causali) *quamvis*, item particulis *interrogativis*, si extra interrogationem ponan-

tur; item: *dum, dummodo, tamquam, et, ansi*, quae hanc conditionem possibilitatis, incertitudinis etc. exprimunt.

Nota 1) *Licet* est proprie verbum impersonale, intellecto *ut*: e. g. *Licet dicas*, pro: licet ut dicas.

Nota 2) *Quasi*, si praesens praecessit, iungitur vel *praesenti*, si de re praesenti sermo est, vel *perfecto*, si de re praeterita dicatur; cum contra vernacula, ibi imperfecto, hic plusquamperfecto utatur. E. g. *Taces*, quasi *nil* scias. *Taces*, quasi nil audieris.

Nota 3) *Cum* seu *quum* causam notat, vel ante concessam, et declaratam indicat. Ab hoc differt adverbium temporis *cum*, quod Indicativum regit. E. g. *Gaudeo*, cum *te* video.

Nota 4) *Dum*, *quod*, *donec*, si exprimant vernaculum (*míg*, *bis*) regunt coniunctivum; sin notant idem, quod *quamdiu*, indicativum.

3) *Qui*, *quae*, *quod*, coniunctivum postulat:

a) Post *esse*, *reperiri*. E. g. *Sunt*, *qui censeant*, etc. *Quis est*, *qui non oderit libidinem? Reperti sunt*, *qui affirmarent.*

b) *Quod* post *est*, *non est*, *nihil est*, *quid est*, *quod*. E. g. *Est*, *quod gaudeas*, pro: est aliquid, propter quod gaudeas. *Non est*, *quod contemnas.*

c) Quando pro *ut is*, *ut ego*, *ut tu*, per omnes casus, et numeros ponitur. E. g. *Pyrrhus legatum ad Romanos misit*, qui (ut is) *pacem peteret*. Eutr. *Voluptas non est digna*, ad quam (ut ad eam) *sapiens respiciat*. Sen. *Nulla gens tam fera est*, cuius (ut eius) *mentem non* imbuerit *Dei opinio*. Cic. *Non sum indignus*, cui (ut mihi) *copiam scientiae tuae facias*. *Idem.*

d) Post *tam*, *tantus*, *talis*, *eiusmodi*, *is*, seu *talis*, *qui*, etc. item post comparativum. V. g. Maior sum, *quam* cui, (ut mihi) possit *fortuna nocere*. Ovid.

e) Post *cum* etc. pro *talis* v. g. *Non te puto* esse eum, qui *Iovi fulmen fabricatos esse Cyclopes in Aetna* putes. Ea est *romana gens*, quae *victa quiescere* nesciat. Livius.

f) Quando pro *cum ego*, *cum tu*, *cum is*, etc. per omnes casus, et numeros ponitur. V. g. *Quid ego te invitem*, a quo (cum a te) iam sciam *praemissos*, qui *tibi* praestolarentur. Cic. *Quid a nobis petis*, *quos nil omnino habere* scias?

4) Coniunctivus etiam ponitur, quando Accusativus cum infinitivo praecessit. V. g. *Quid potest esse tam apertum*, *quam esse aliquod Numen*, *quo haec* regantur. Cic.

III. *Imperativus* aut *iussivus*, est, aut *prohibitivus*; id est: aut aliquid *faciendum*, aut aliquid non *faciendum* esse edicit. Duplicem autem formam habet, quarum altera *lenius*, altera *gravius* rem exprimit.

1) Prima non solum iubentes, sed etiam orantes, dehortantes, quin et prohibentes, deprecantes, dehortantes utimur, e. g. *Obsecro populares*, ferte *misero auxilium*, subvenite *inopi*. Terent. *Valetudinem tuam* cura *diligenter*. Cic. *Nimium* ne crede *colori*. Virg.

2) *Altera forma* graviore nempe, domini et legislatores utuntur, tam in imperando, quam vetando. E. g. *Regio imperio duo* sunto, *iique Consules* appellantur. Cic. *Hominem mortuum in urbe ne* sepelito, *ne* urito. Cic.

Nota. Prohibitivo semper adiungitur *ne*, perperam *non*, *e. g. Loca*, *quae*, *diu fuerunt conclusa*, *subito* ne intra. Imperativus tam *iussivus*, quam *prohibitivus* vario modo exprimi potest, et quidem:

Iussivus.

a) Per *coniunctivum*, e. g. facias, pro fac.

b) Per *cura*, *fac*, *velim*, sequente *ut* cum coniunctivo, vel coniunctivo sine *ut*, e. g. *Cura*, *ut valeas*, pro: *vale*. *Velim*, *pristinam tuam erga me voluntatem* conserves. Cic. pro: *conserva*.

c) Per *Futurum Indicativi*, e. g. *Tu et ad omnia* rescribes, *et*, *quando te exspectem*, facies *me certiorem*. Cic.

Prohibitivus.

a) Per coniunctionem praefixo *ne*. E. g. *In re rustica operae* ne parcas. Cic. pro: *parce*.

b) Per *noli* sequente Infinitivo. V. g. *Noli agere confuse.* Cic. pro: *ne age.*
c) Per *cave* sequente Coniunctivo. E. g. *Cave facias*, pro: *ne fac; cave dicas*, pro *ne dic.*
d) Per *fac, ne*, sequente Coniunctivo. E. g. *fac, ne quid aliud cures.* Cic. pro: *ne cura.*
e) Per Futurum Indicativi praefixo *non.* E. g. *Tu non cessabis*, pro: *non cessa.* Cic.

§. II.

De Syntaxi Verborum Finitorum Personalium Transitiva.

Quotuplex est Syntaxis Verborum Finitorum Personalium Transitiva.

Quadruplex: quaedam enim verba construuntur cum Genitivo, quaedam cum Dativo, quaedam cum Accusativo, quaedam cum Ablativo.

A) Syntaxis verborum cum Genitivo.

Quae verba regunt Genitivum?

I. Verbum *sum*, cum *possessionem*, aut ad *aliquid pertinere* significat; item cum haec vocabula: *indicium, opus, negotium, officium, proprium, munus* subintelliguntur. E. g. *Iam me Pompeii totum esse scis.* Cic. Boni pastoris est *tondere pecus, non deglubere.* Svet. (i. e. pertinet ad bonum pastorem.) Imbecillis animi est (subintell. indicium) *superstitio.* Cic. Tardi ingenii est *rivulos consectari, fontes rerum non videre.* Cic. Cuiusvis hominis est *errare*, nullius, nisi insipientis, in errore perseverare. Cic. Iudicis est, *non quid ipse velit, sed quid lex et religio cogat, cogitare.* Cic. Est boni magistratus, *non solum videre, quid agatur, verum etiam providere, quid futurum sit.* Cic. Hoc doctoris intelligentis est, *videre, quo ferat natura sua quemque.* Cic. Populi gratia est *praemiis afficere bene meritos de republica cives.* Cic. Est boni oratoris, *multa auribus accepisse; multa vidisse.* Cic. *Non minus est* Imperatoris, *consilio superare, quam gladio.*

Caes. Philosophi *non est testibus uti: sed argumentis eum, et rationibus oportet, quare quidque ita sit,"docere. Cic.*

Nota. Possessiva *meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, *vester*, cum verbo *est* in neutro genere construuntur. E. g. Tuum est, *si quid praeter spem evenit, mihi ignoscere*. Terent.

Meum *puto* esse, *quid sentiam, ostendere*. Cic. Nostrum est, *ferre modice populi voluntates*. Cic. Si cuiuspiam, *certo* tuum est, *nihil praeter virtutem in bonis ducere*. Cic. *Quis profitetur* esse suum, *de omnibus quaestionibus dicere*. Vestrum est, *principes, decernere, quod optimum vobis, reique publicae sit*. Liv.

Nota. Saepe numero voces istae: *officium*, *munus*, *proprium*, aperte cum verbo est occurrunt. E. g. Peregrini et incolae officium est, *nihil praeter suum negotium agere*. Cic. Principum munus est, *resistere et levitati multitudinis, et perditorum temeritati*. *Cic.* Sapientis est proprium, *nihil, quod poenitere possit, facere*. *Cic.*

II. Verba *aestimandi*, ut: *aestimo*, *facio*, *pendo*, *duco*, nonnunquam *habeo*, *sum*, conveniente significatione, id est: *aestimor*, praeter Accusativum rei aestimatae, hos fere *Genitivos* pretii adsciscunt: *magni*, (maioris nunquam) *maximi*, *pluris*, *plurimi*, *parvi*, *minoris*, *minimi*, *tanti*, *tantidem*, *quanti*, *quanticunque*, (scilicet pretii) item aliquos Genitivos substantivorum, ut: *nauci*, *nihili*, *flocci*, *pili*, *pensi*, *teruncii*, *assis*, ac pronominis demonstrativi *huius*, e. g. *Natura parvo esset contenta, nisi voluptatem* tanti aestimaretis. Cic. *Num* pluris aestimabis *pecuniam Pyrrhi*, *quam Fabricio dabat, an continentiam Fabricii, qui illam pecuniam repudiabat?* Cicero. *Si prata, et areas quasdam* magni aestimaremus; quanti est aestimanda *virtus?* Cic. *Hephaestionem Alexander* plurimi fecit. Nep. *Voluptatem virtus* minimi facit. Cic. *Multi sua* parvi pendere, *aliena cupere solent*. Sall. *Laelius non eo dictus est sapiens, quod non intelligeret, quid suavissimum esset*, sed *quia* parvi *id* duceret. Cic. Pluris putare, *quod utile videatur, quam quod honestum, tur-*

pissimum est. Cic. *Num finis amicitiae hic est, ut, quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis?* Cicero. *Ego a meis me amari et* magni pendi *postulo.* Ter. *Divitiae a me* minimi putantur. Cic. *Conon Peloponesio bello accessit ad rempublicam, in eoque eius opera* magna fuit. Nep. *Agere considerate,* plus est, *quam cogitare prudenter. Cic. Nulla studia* tanti sunt, *ut amicitiae officium deseratur.* Plin. *Otho cum* tanti *se non* esse *dixisset, ut propter eum civile bellum commoveretur, voluntaria morte obiit.* Eutr. Quanti est *ista hominum gloria, quae pertinere vix ad unius anni partem exiguam potest? Cic. Non quantum quisque prosit, sed* quanti *quisque* sit, *pondera.* Cic. *Mea mihi conscientia* pluris est, *quam omnium sermo. Cic. Ego, quae tu loquere,* flocci non facio. Plaut. *Non* nauci habere. Cic. *Nihil* pensi habere. Sall. *Alienae vitae Censores* assis *ne* feceris. Terent.

Nota 1) *Emo, vendo, veneo, sto* etiam supra memoratis Genitivis: *magni, parvi, pluris, minoris etc.* iunguntur e. g. *Mercatores non* tantidem vendunt, quanti emerunt. Cicero. Vendo *meum frumentum* non pluris, *quam ceteri; fortasse etiam* minoris, *cum maior est copia.* Cicero. *Emit homo cupidus et locuples* tanti, quanti *Pythius voluit. Cic. Nulla pestis humano generi* pluris stetit, *quam ira.* Sen. *Nunc, cum pretium praedii novi, licitatorem potius opponam, quam illud* minoris veniat. Cic.

Nota 2) Verbum *aestimo* recipit etiam hos ablativos *magno, permagno, parvo, nihilo.* E. g. *Data* magno aestimas, *accepta parvo.* Sen. *Tu ista* permagno aestimas. Cic. Magno aestimamus *mori tardius.* Ser. Nonnunquam Ablativus *pretio*, qui subintelligitur, expresse ponitur; ita Val. Max. 5. 4. Magno *ubique* pretio *virtus* aestimatur.

Nota. 3) Dicimus etiam: pro nihilo *habeo, puto, duco, pendo divitias omnes prae virtute.* E. g. *Tu ausus es* pro nihilo, *prae tua praeda, tot res sanctissimas ducere?* Cic.

Nota 4) Singularia sunt: *Aequi bonique facio, aequi boni facio, boni consulo.* E. g. *Equidem isthuc,*

Chreme, aequi bonique facio. Ter. *Tranquillissimus meus animus totum istuc* aequi boni facit. Cic. *Hanc coqui*, *ac pistoris moram* boni consulo. Sen.

III. Verba *memini*, *recordor*, *reminiscor*, *obliviscor*, *miseresco*, *misereor*, *satago*, *moneo* cum compositis, et nonnulla adhuc alia e lectione auctorum discenda, quae *affectum* aliquem, *curam*, aut *perturbationem* animi significant, petunt Genitivum obiecti. E. g. *Animus* meminit praeteritorum, *praesentia cernit*, *futura praevidet*. Cic. *Homo improbus aliquando cum dolore* flagitiorum suorum recordabitur. Cicero. *Dux Helvetiorum hortabatur Caesarem*, *ut* reminisceretur et veteris incommodi *populi Romani*, et pristinae virtutis Helvetiorum. Caes. *Proprium est stultitiae*, *aliorum vitia cernere*, oblivisci suorum. Cic. *Cohortatus est Caesar Aeduos*, *ut* controversiarum, ac dissensionum obliviscerentur. Caes. *Clinia* rerum suarum satagit. Ter. *Nil* nostri miserere, *mori me denique cogis*. Virg. Eorum misereri *oportet*, qui propter fortunam, non propter malitiam in miseriis sunt. Cic. *Heraclitus* miserebatur omnium, *qui sibi laeti ocurrebant*. Sen. Arcadii, *quaeso*, miserescite Regis. Virg. Pendeo animi. Cic. Animique se angebat. Terent. *Res adversae* admonent religionis. Liv.

Nota 1) *Obliviscor*, *recordor*, *reminiscor*, *memini* pro recordor, Accusativo etiam iunguntur. E. g. *Homines* res praestantissimas obliviscuntur. Cic. *Operae pretium est*, diligentiam maiorum recordari. Cic. Reminiscens *pristini temporis* acerbitatem. Idem. Beneficia meminisse *debet is*, *in quem collata sunt*, *non commemorare*, *qui contulit*. Cic.

Nota 2) *Memini*, pro mentionem facio, regit Genitivum vel Ablativum cum praepositione de. E. g. *Neque omnino* huius rei meminit *Poëta*. Quint. De quibus *multi auctores* meminerunt. Idem.

Nota 3) *Misereor* cum Dativo dixit Seneca: Misereor tibi *puella*. *Miseror* vero et *commiseror* Accusativum adsciscunt. E. g. Liceat casum misereri insontis amici. Virg. Commiseratus *est* fortunam *Graeciae*. Nep.

Nota 4) *Moneo*, *admoneo*, etc. pro Genitivo etiam Ablativum cum praep. *de* recipiunt. E. g. *Oro, ut Terentiam moneatis* de testamento. Cic. Pronominibus vero, aut relativis iuncta cum duobus Accusativis construuntur. E. g. Id ipsum te moneo, quod me admonuisti.

Nota 5) Verba *curam*, aut *perturbationem* animi significantia promiscue Genitivos, vel Ablativos recipiunt. E. g. Angor animo. Cic. Pendemus animis. Idem.

IV. Verba *accusandi*, *absolvendi*, *damnandi*, praeter Accusativum personae admittunt *Genitivum*, qui *poenam*, *crimenve* significat. Verba condemnandi et absolvendi petunt etiam Genitivum *capitis*, ubi subauditur *poena*.

Eiusmodi verba sunt: accuso, accerso vel arcesso, arguo, alligo, adstringo, coarguo, defero, incuso, infamo, insimulo, postulo, absolvo, damno, condemno, convinco, noto, obligo, obstringo, et similia. V. g. Miltiades *proditionis est accusatus*, quod cum Parum expugnare posset, a pugna discessisset. Nep. Thrasibulus legem tulit, ne quis ante *actarum rerum accusaretur*, neve mulctaretur. Nep. Qui alterum *incusat probri*, ipsum se intueri oportet. Plaut. Fannius Verrem *insimulat avaritiae*, *et audaciae*. Cicero. Quidam, si in luctu hilarius locuti sunt, *peccati se insimulant*, quod dolere intermiserint. Cic. Haec duo *levitatis*, *et infirmitatis* plerosque *convincunt*, aut si in bonis rebus amicum contemnunt, aut in malis deserunt. Cic. Recte *condemnamus* haruspices aut *stultitiae*, aut *vanitatis*. Cic. Caesar summae se, inquit, *iniquitatis condemnari* debere, nisi militum vitam sua salute habeat cariorem. Caes. Alcibiades postquam se *capitis damnatum* audivit, Lacedaemonem demigravit. Nep. Maiores nostri, si quam *unius peccati* mulierem *damnabant*, *multorum maleficiorum convictam* putabant. Cic. ad Her. Socratis responso sic Iudices exarserunt, ut *capitis* hominem innocentissimum *condemnarent*. Cic. Coelius Iudex *absolvit iniuriarum* eum, qui Lucilium Poëtam in scena nominatim laeserat. ap. ad Her. Ne audacem quidem *timoris* prorsus *absolvimus*. Sen. Si quis Eques Romanus equum haberet gracilen-

tum, *impolitiae notabatur*. Gell. Non est, quod quisquam illos apud te *temeritatis infamet*. Sen. Reo *criminis postulato* prohibet pecuniam solvi. Marc. l. 46. Pandect.

Nota 1) Nonnunquam nomen *poenae* ponitur in Abl. Quod in hac construendi ratione Ablativi *crimine vel nomine* subintelligantur, patet ex eo: quod Ablativi hi sine praepositione aperte occurrant. E. g. Miltiades etsi *crimine Pario est accusatus*, tamen alia fuit causa damnationis. Nep. *Nomine* sceleris, coniurationisque damnati sunt multi. Nep.

Nota 2) Genitivi loco ponitur etiam Ablativus cum praepositione *de*. E. g. Non committam posthac, ut me *accusare de* epistolarum *negligentia* possis. Cic. Attilius *de Maiestate* damnatus est. Cic. Lex vetat, eum qui *de pecuniis repetundis damnatus sit*, in concione orationem habere. Cic.

Nota 3) Verba damnandi pro Genitivo *capitis*, etiam assumunt Ablativum *capite*. E. g. Claudius multos ex iis, quos *capite damnaverat*, in convivium admoveri iusssit. Svet.

Nota 4) Praeter *capitis* vix alii Genitivi *poenae* cum verbis damnandi reperiuntur, praesertim tales, qui instrumentum poenae denotant. Nec enim dicitur: *damnare quem crucis*, *gladii*, *restis*, *metallorum*, *etc.* sed ad *crucem*, *gladium*, *restem*, *metalla*. *Dicimus etiam damnare*, *accusare* aliquem *inter sicarios*. *Cic.* *Damnare* aliquem *pro socio*. Cic. Flacc. 18.

Nota 5) *Damnari voti*, est consequi id, cuius causa votum est factum, seu reum fieri voti exsolvendi. E. g. Dixit nunc demum se *voti esse damnatum*. Nep. *Votorum damnari* saepe occurrit apud Livium. Virgilius Ecc. V. habet: *Damnare* tu quoque *votis*.

Nota 6) *Teneor* quoque interdum regit Genitivum, sive criminis, ut: Debitor iste *tenetur furti*; sive reatus: ut *teneri damni*, *depositi*, *commodati*, *etc.* Sed hic itidem intelligitur Ablativus, qui quandoque exprimitur, ut: *tenetur furti iudicio*. Ulpian. Ob pecuniam civitati subtractam, *actione furti*, non *crimine peculatus* tenetur. Papinianus.

Nota 7) Non temere utendum est verbis *accusandi*, *damnandi* cum Genitivo criminis; si enim non coram

iudicio, ut in maioribus criminibus fieri solet, sed amice saltem corrigere, reprehendere, culpare, accusare, etc. haec verba denotent, ordinaria constructio facienda, persona nimirum ponitur in Genitivo, crimen in Accusativo; sic dicimus: *accusare alicuius pigritiam*, *negligentiam*, *discessum*. Cic. Sic etiam *damnare* non semper significat coram iudicio, sed *improbare*, *reiicere*. E. g. *Damnare alterius consilia*; (non consilium) *damnare libros*. Quint.

Nota 8) Verba *absolvo*, *libero*, *alligo*, *adstringo*, *mulcto*, *obligo*, *obstringo*, quemadmodum suapte natura Ablativum petunt, ita et Ablativum significantem poenam, crimenve sine praepositione admittunt. Sic Cic. ad Heren. dicit: Iudex eum *absolvit iniuriarum*; alibi vero ego me etsi *peccato absolvo*, *supplicio non libero*. *Morte mulctantur* vitia hominum, atque fraudes, *damnis* et ignominiis. Cic.

B) Syntaxis Verborum cum Dativo.

Quae verba regunt Dativum?

I. Verbum *Sum* significatione *habendi* regit Dativum. E. g. *Est mihi* namque domi pater, et iniusta noverca. Virg. An nescis longas *Regibus esse* manus. Ovid. Tecum habita, et noris, quam *sit tibi* curta supellex. Pers. Sic et alias, etiamsi habendi significatio esset, ut: Natura tu *illi* pater es; consiliis ego. Terent. *Eris mihi* magnus Apollo. Virg.

Nota. Melius dicitur: *esse* ab epistolis, a secretis *Principis*, quam *Principi*. Posterius pertinet ad aetatem aeneam.

II. *Sum*, quando habet significationem *adferendi*, *vel adficiendi*; item verba: *do*, *duco*, *habeo*, *tribuo*, *verto*, *fio*, regunt geminos Dativos, alterum personae, et alterum rei. E. g. *Sempiternae laudi* sit *tibi* tribunatus. Cicero. Epistola tua *fuit mihi magnae molestiae*. Idem. 3. ad Att. Sic. etiam dicitur: *esse alicui laudi*, *risui*, *probro*, *decori*, *dedecori*, *emolumento*, *impedimento*, *detrimento*, *lucro*, *odio*, *oneri*, *formidini*, *terrori*, *pignori*, *praesidio*, *molestiae*, pro: adferre molestiam. etc. Quod *aliis vitio vertis*, id *tibi* ne *laudi duxeris*. Liv. *Vitio mihi dant*. Cic. *Laudi*

in Graecia *ducitur adolescentibus*. Nep. Ampla domus saepe fit *domino dedecori*, si est in ea solitudo. Cic. Utrum *studione* id *sibi habet*, an *laudi* putat *fore*, si perdiderit gnatum? Ter.

Nota 1) Interdum Dativus personae dissimulatur. E. g. Maximo *est argumento*, quod nuper contigit. Cic. Quae domus ipsa *erat iudicio* tui crudelissimi Tribunatus. Cic. Nucleum amisi, *reliquit pignori* putamina, Plaut. Subauditur *mihi*.

Nota 2) Dicitur tamen etiam: *dare in donum*, *vertere in vitium*, *crimen*. E. g. Ea, quae gloriae esse debent, *in crimen vertit*. Liv.

Nota 3) Huc pertinet et ellipticum illud: *homo frugi*, homo *bonae frugi*; pro: qui *est bonae frugis* i. e. emolumento sibi, et aliis. Sic ut: qui *est morae*, qui est *noxae*, quae bifariam efferuntur, ut: *Noxa esse*. Liv. L. X. *esse in noxa*. Idem L. II. dec. 4. *Morae esse*, *esse in mora*. Cic. L. X. ep. 31.

III. Quodlibet verbum admittit Dativum *personae*, aut *rei*, cui qualicunque modo aliquid acquiritur, vel demitur, eiusmodi praecipua verba sunt: *dandi*, *reddendi*, *committendi*, *promittendi*, *declarandi*, *anteponendi*, *postponendi*, *comparandi*, *assentiendi*, *obsequendi*, *obediendi*, *imperandi*, *persuadendi*, *submittendi*, *repugnandi*, *irascendi*, *comminandi*, *ignoscendi*, et quaecunque Neutraliter *auxilium*, *commodum*, *incommodum*, *favorem*, *et studium* significant. Multa etiam (non tamen promiscue omnia) neutra, et composita a *sum* vel praepositionibus: *ad*, *ante*, *con*, *de*, *e*, *in*, *inter*, *ob*, *post*, *prae*, *pro*, *re*, *sub*, *super*; quatenus nimirum attribuendi, vel adimendi vim habent, et de *subiecto*, non de *obiecto* loquuntur. Item: *confido*, *nubo*, *benedico*, *maledico*, *haereo*, et similia. Quorum omnium exempla passim occurrunt in auctoribus Classicis: nonnulla hic subiiciuntur, e quibus regulae sensus satis intelligi poterit.

Exempla verborum Dativum regentium.

Salutem *tibi* iidem *dare* poterunt, qui *mihi* reddidere. Cic. *Dat* veniam *corvis*, vexat censura co-

lumbas. Iuv. Facile omnes quum valemus, recte consilia *aegrotis damus*. Ter. *Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem et metes*. Plaut. *Foenerat* sol suum lumen *caeteris sideribus*. Plin. Ipsa *satis (i. e. segetibus)* tellus, quum dente recluditur unco, *sufficit* humorem. Virg. Non *parebo dolori meo*, non *iracundiae serviam*. Cic. *Peccatis indulgens* praecipitem amicum ferri sinit. Idem. de amic. Venus *nupsit Vulcano*. Astarten *Adonidi nupsisse* proditum est. Cic. Plures in India mulieres *singulis viris* solent esse *nuptae* *) Cic. Desine dubitare, utrum sit utilius propter multos improbos *uni parcere*, ac unius improbi supplicio multorum improbitatem coërcere. Cic. Aut potentior te, aut imbecillior laesit: si imbecillior *parce illi*, si potentior, *tibi*. Sen. Si quis *mihi maledicit*, petulans aut plane insanus esse videtur. Cic. Numquid potentior sum Philippo? *illi* tamen impune *maledictum* est? Sen. Semper in civitate, quibus opes nullae sunt, *bonis invident*. Sall. *Tibi persuade*, praeter culpam, ac peccatum homini accidere nihil posse, quod sit horribile. Cic. Efficit hoc Philosophia, *medetur animis*, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat. Cic. Epaminondas se *patriae irasci* nefas esse dicebat. Nep. Nunquam vir perfectus *fortunae maledixit*. Sen. Irasci iis nefas, quos amare debemus. Nep. Caesar intelligebat omnes homines *libertati studere*, et conditionem servitutis odisse. Cic.

Composita e praepositionibus, e. g.

Ad) Quod munus *Reipublicae adferre* maius possumus, quam si docemus, atque erudimus iuventutem? Cic. Div. 2. 4. Poëta peccat, cum probam orationem *affingit improbo*, *stultove* sapientis. Cicero. Hoc doctoris intelligentis est, sic instituere adolescentes, *ut alteri* calcaria *adhi-*

---

*) Verbum *nubo* per omnia tempora Dativo iungitur, ut: *nubere pari*. *Nupta viro*. Sed participium *nuptus* cum verbo *sum* etiam praepositionem *cum* admittit. E. g. *Cum* Regis Parthorum *filio nupta erat* Regis Armeniorum soror. Cic.

beat, alteri frenos. Cic. Natura *sensibus* rationem *adiunxit*. Cic. Auctoritatem nullam debemus, nec fidem *commentitiis rebus adiungere. Cic.*

Ante) Quis potest ignotos *notis*, impios *religiosis anteferre*? Cic. Omnes participes sumus rationis, praestantiaeque eius, qua *antecellimus bestiis*. Cic. Plura bona *paucioribus bonis antepone*, diuturniora *brevioribus*. Cic. Multi levissimam delectationem *gravissimae utilitati anteponunt*.

Con) Quid indignius, quam *comparare* veneranda *contemtis*. Sen. Stoici finem bonorum esse sentiunt, *congruere naturae*, cumque ea convenienter vivere. Cic. *Pietati conjuncta* iustitia est, reliquaeque virtutes. Cic. Non convenit *moribus meis*, aliud palam, aliud agere secreto. Plin.

De) Satius est prodesse etiam *malis* propter bonos, quam *bonis deesse* propter malos. Sen. Is denique bonus mihi videri solet, qui non propter spem futuri beneficii, sed propter magna merita *claris viris defertur*, et datur. Cicero. Etiam clarorum *hominum virtuti fidem in testimonio inimicitiarum suspicio derogat. Cic.*

E) Mors sola innocentem fortunae eripit. Sen. *Caesar Deiotaro Tetrarchiam eripuit. Cic.*

In) Thebanorum genti plus *inest virium, quam ingenii.* Nep. *Altius praecepta descendunt, quae teneris imprimuntur aetatibus.* Sen. Gratior existimatur, qui *delubris* puram, castamque mentem, quam qui meditatum carmen *intulerit*. Plin.

Inter) Deus *interest animis nostris, et cogitationibus mediis intervenit*. Sen. Nasus ita locatus est, ut quasi murus *oculis interiectus esse* videatur. Cic.

Ob) Omni virtuti vitium *opponitur*. Cic. Multorum *odiis* nullae opes possunt *obsistere*. Cic. *Consiliis* interdum *obstat* fortuna. Nep. Alexander, dum *obequitabat moenibus*, sagitta ictus est. Curt.

Post) Manlius *posthabuit* filii caritatem *publicae utilitati*. Liv.

Prae) Pecuniam *praeferre amicitiae* sordidum est. Cic. Deus animum *praefecit corpori*. Idem.
Pro) Fortuna *origini Romanae* prospexit. Cic.
Re) *Optatis meis* fortuna *respondit*. *Cic.*
Sub) Iudicis est *innocentiae subvenire*. *Cic.* Est boni Consulis opem ferre *patriae*, *succurrere saluti*, *fortunisque communibus*.
Super) Neque deesse, neque *superesse reipublicae* volo. Cic. Leonidas, rex Spartanorum *securis Persis supervenit*. Inst.

Nota 1) Multa e verbis his compositis loco Dativi casum suae praepositionis admittunt, imprimis vero composita ex *ad*, *con*, *de*, *e*, *in*, *quae usus*, et diligens auctorum lectio docebit. E. g. Quidam *ad eas laudes*, quas a patribus acceperunt, *addunt* aliquam suam. Cic. (pro *iis laudibus*). Timotheus *ad bellicam laudem* doctrinae gloriam *adiecit*. Cic. Hominem *cum homine*, tempus cum *tempore*, et rem cum *re comparate*. Cic. *Confer* nostram longissimam aetatem *cum aeternitate*. Cic. Nunquam dubitavi meam salutem *cum communi salute coniungere*. Cic. Convenienter naturae vivere: id habet hanc, ut opinor, sententiam, *cum virtute congruere* semper. Cic. Multae res sunt, in quibus *de suis commodis* viri boni multa *detrahunt*. Cic. *In oratore perfecto inest* Philosophorum omnis scientia. Cic. *In* omnium *animis* Dei notionem *impressit* ipsa natura. Cic. Multi reges Persarum multas opes longa aetate cumulaverunt liberis, posterisque, quas una hora in externi regis *manus tulit*. Curt.

Nota 2. Figuratum est, cum verbis apponitur Dativus nunc pro Accusativo cum praepositione. E. g. *It* clamor *coelo*, pro: *ad coelum*. Aen. 5. *Bello* animos *accendit* agrestes, pro: *ad bellum*. Aen. 7. nunc pro Abl. cum praepositione. E. g. Solstitium *pecori defendito* pro: *a pecore*. Virg. Neque *cernitur ulli*, pro: ab *ullo*. Idem. Solus *tibi certet* Amyntas, pro: *tecum*. Virg. Huiusmodi Dativum Linacer lib. 6. ad Hellenismum refert, quod in hisce dictio non ei casui iungitur, quem Latina proprietas exigit, sed Graeca.

Nota 3) *Habeo tibi fidem*, id est: credo; usitatissimum est: *adhibeo tibi fidem*, in eadem significatione,

vix apud probatos scriptores invenies. *Praesto tibi fidem*, tum dicimus, cum servare fidem intelligimus. E. g. Gens fallax promissi *fidem praestitit*. Liv.

Nota 4) Verbum *mutuo* non est huius loci, non enim dicimus: *mutuavi tibi* pecunias, sed *mutuas tibi dedi* pecunias. *Mutuum do* triticum. Cic. ad Att. L. II. ep. 3. Cui magnam *dedimus* pecuniam mutuam. Huic drachmarum argenti mille *dederat mutuum*. Terent. Siquis *mutuum quid dederit*, sit pro proprio perditum. Sed *mutuo*, voce activa, alia significatione reperitur, nempe *mutuum sumere*, *accipere*, et tunc praeter Accusativum adsciscit Ablativum. E. g. Potius *praesidium a libertate*, quam *ab innocentia mutuavit*. Val. Max. Sed et in hac significatione rarissimum est; — frequentius autem occurrit deponens *mutuor*, *id est: mutuum accipio*, de quo in regimine verborum Abl. Notandum hoc loco et id: *mutuum dare* dici de pecunia, frumento, aliisque rebus quae non restituuntur eaedem, vel eiusdem generis: de ceteris usitatius esse: *commodare*. Quod tamen interdum de iis etiam rebus dicitur, quae non eaedem redduntur. E. g. Viginti argenti *commodo* minas *matri*. Plaut. Aquam hostis *hosti commodavit*. Idem.

IV. Quaedam verba in eadem significatione modo Dativum, modo Accusativum admittunt, talia sunt: adulor, allatro, antecedo, anteeo, antesto, anteverto, attendo, curo, deficio, despero, illudo, incesso, insulto, medicor, moderor, occumbo, praecedo, praecurro, praeeo, praesto, praestolor, praeverto, studeo, tempero, ut:

Adulor. *Adulari alicui*. Quint. 9. 3. *Adulantem omnes* vidi. Cic. in Pison. Atticus *potenti Antonio* non est *adulatus*. Nep. Cavendum, ne assentatoribus patefaciamus aures, nec *adulari nos* sinamus. Cic. offic. 1. 91.

Allatro. *Scipioni* in Capitolium intempesta nocte eunti nunquam canes *allatraverunt*. Aurel. Vict. de viris illustribus c. 49. Cato allatrare Africani magnitudinem solitus erat. Liv. lib. 38. c. 54. Acc. est usitatior.

Antecedo. Semper in promtu habere debemus, quantum natura hominis *pecudibus*, *reliquisque be-*

stiis antecedat! Cic. offic. 1. Populus Romanus *cunctas nationes antecedit* fortitudine. Nepos in Hannib.

Anteeo. Virtus omnibus rebus anteit. Plaut. Satis docuisse videor, hominis natura quanto *omnes anteierit animantes.* Cic. N. D.

Antesto. In his cognitum fuit, quanto *antestaret* eloquentia *innocentiae.* Nep. in Arist. Insula, quae *alias* magnitudine, et foecunditate *antestat.* Pomp. Mela L. 3. c. 6.

Antevenio. Tempori (i. e. tempestive) *huic* hodie *anteveni.* Plaut. Novi homines, qui antea per virtutem soliti erant *nobilitatem antevenire.* Sallus. B. Iug. C. 4.

Anteverto. Miror, ubi ego *huic anteverterim.* Ter. in Eun. Clodius Quirinalis *damnationem* veneno antevertit. Tac. in Amic.

Attendo. Homo sapiens *sermonibus malignis* non *attendit.* Plin. ep. Saepe non *attendimus* nosmetipsos. Cic. Orat.

Curo. Tuo vestimento, et cibo *alienis rebus curas.* Plaut. Trac. Qui *se, suamque aetatem* bene *curant*, edunt, bibunt. Plaut. Pseud. Dativus rarior est.

Deficio. Cum non solum vires, sed etiam tela *nostris deficerent.* Caes. Nisi vinum *nobis defecisset* Val. Max. *deficit me* tempus. Cic. *Deficiunt me* solatia; et sic saepius cum Acc.

Despero. Bonos viros lugere malo meas fortunas, quam *suis desperare.* Cic. p. Red. Simul atque Candidatus accusationem meditatur, *honorem desperasse* videtur.

Illudo. Saepe *illudit nobis* fama. Sen. *Miseros illudi* nolunt sapientes, nisi si se forte iactant. Cic. de Orat.

Incesso. Gravior cura *patribus incessit*, cum prodi causam ab suis cernerent. Liv. Stupor *omnes* et admiratio *incessit*, unde Carthaginensibus tam subitum bellum oriretur. Iust. Etiam cum praepositione *in:* nova nunc religio *in te* isthaec *incessit*, cedo? Terent. Mihi haec cogitatio incessit.

Hoc verbum plerumque occurrit in tertia persona cum nomine affectus: e. g. metus, timor, admiratio, etc.

Insulto. In calamitate *alicui insultare.* Cic. *Insultare* omnium *capitibus.* Svet. *Insultare bonis.* Liv. *Multos* a pueritia *bonos insultaverat.* Sallust. *Insultare fores* calcibus. Terent. Qui nunc *patientiam* senis, et *segnitiem* iuvenis iuxta *insultet.* Tacit. Annal. IV. Cic. pro Mil. c. 32. dixit: *insulto in rempublicam.*

Medicor. Senibus medicantur anhelis. Virg. *Medicari* cuspidis *ictum. Idem.*

Moderor. Moderari animo et orationi, cum sis iratus, non mediocris ingenii est. Cic. Qui *non moderabitur irae.* Hor. *Moderari cantus*, *numerosque. Cic.* Venti, et tempestates *res rusticas moderantur.* Cicero.

Occumbo. Aut versare dolos, aut *certae occumbere morti.* Virg. *Occumbere* pro patria *mortem.* Cic. invenitur etiam *occumbere morte*, *nece*, *letho. etc.*

Praecedo. Vestrae fortunae meis *praecedunt.* Plaut. Helvetii *reliquos Gallos* virtute *praecedunt.* Caes.

Praecurro. Mihi pene studio *praecurritis.* Cic. Efficiendum, ne appetitus *rationem praecurrat.* Idem.

Praeeo. Praeire alicui *voce*, *verbis.* Saepius apud Ciceronem: *Praeire Sacramentum.* Tac. *Praeire alicui iusiurandum.* Plin. Paneg.

Praesto. Difficile est, cum *praestare omnibus* concupieris, servare aequitatem. Cic. *Praestare* virtute *peditem*, ut honore atque ordine praestatis. Liv.

Praestolor. In Formiano *tibi praestolor* usque ad tertium Nonas Maii. Cic. *Spei meae* volui *praestolari* in Epiro. Idem. Curionis *adventum* Caesar *praestolabatur.* Cic. *Quem praestolare* Parmeno huic ante ostium? Terent.

Praeverto. Caesar *huic rei praevertendum* existimavit. Caes. *Praevertere* cursu *ventos.* Virg

Studeo. Qui Atheniensium *rebus studuissent.* Nep. Nec fuit quispiam, qui *praeclare studeret.* Caes. *Literas studere* incipit. Cic. Sed Accusativus hic rarius occurrit: saepius vero pronomina neutrius generis. E. g. Non equidem *hoc studeo.* Pers. Qui si nihil *aliud studet*, nisi *id*, quod agit. Cic. Horum ille *nihil* egregie praeter cetera *studebat.* Ter.

Tempero. Neque *mihi temperare* possum, quominus exemplum antiquitatis referam. Plin. Nec magis post praelium, quam in praelio *caedibus temperatum est.* Liv. *Temperare rempublicam* institutis et legibus. Cic. *Temperare ratem.* Ovid.

His similia sunt et alia verba, quae in eodem fere sensu diversos casus, *Dat.* vel *Acc.* aut *Abl.* cum, et sine praepositione adsciscunt, ut:

Abdico. *Abdicare Magistratum.* Sallust. *Abdicant se Magistratu.* Liv. Cum se Lentulus *Praetura abdicasset.* Cic.

Adscribo. Si qui *foederatis civitatibus* essent adscripti. Cic. Archias *adscribi* se in *eam civitatem* voluit. Idem. Cum *aliis* quoque *civitatibus* sit *adscriptus.* Idem.

Adspergo. Vatinius *Miloni clarissimo viro* nonnullam laudatione sua labeculam adspergit. Cic. Pythagoras Apollini hostiam immolare noluit, ne *aram sanguine adspergeret.* Cic.

Circumdo. Semiramis Babyloniam condidit, *murumque urbi circumdedit.* Iust. Deus *animum circumdedit corpore.* Cic.

Confido. Nemo, qui *suae confidit*, alterius virtuti invidet. Cic. Quis potest aut corporis *firmitate*, aut fortunae stabilitate confidere? Cic.

Defendo. Solstitium *pecore defendite.* Virg. Qui non *defendit iniuriam*, neque propulsat a suis, cum potest, iniuste facit. Cic. Provincia non modo *a calamitate*, sed etiam *a metu* calamitatis est *defendenda.* Cic.

Dominor. Victis dominabitur Argis. Virg. *Toti dominabere mundo.* Claudian. Quasi *in mancipia dominaris.* Curt. Casus et fortuna *in nobis dominabitur.* Sulpic. in Cic. L. 4. ep. 4.

Dono. Large, effuseque *suis adjutoribus* non pauca *donabat.* Cic. Captivos *libertate*, atque *immunitate donavit.* Curt. Universos *frumento donavit.* Nep.

Duco. Vos eritis iudices, *laudine*, an *vitio duci* id factum oporteat. Terent. Laudi ducitur adolescentulis. Nep. Ne convivalium fabularum simplicitas *in crimen duceretur.* Tac.

Excello. Zeuxis longe *ceteris excellere pictoribus* existimabatur. Cic. Ut is, qui dignitate *Principibus excellit*, facilitate infimis par esse videtur. Cic. *Excellit inter omnes unus.* Cic. Dicitur etiam *excellere aliis in aliqua re*, *excellere super omnes alios*; excellere in aliqua re praeter ceteros.

Exuo. Exuerat tunicas. Ovid. *Exuere alicui vestem.* Senec. Non ante abscessum est, quam hostem *exuerunt castris.* Liv.

Habito. Atque *humiles habitare casas.* Virg. In hac *habitasse platea* dictum est Chrisidem. Terent. *Tecum habita*, et noris, quam sit tibi curta supellex. Pers.

Impertio. Parmaenonem summum suum Gnatho *plurima salute impertit.* Ter. Siquam praestantiam virtutis, ingenii, fortunae consecuti sunt, *impertiant eam suis*, communicentque cum proximis. Cic. Terentia delectata tuis literis *impertit tibi multam salutem.* Cic.

Induo. Nihil peius est iis, qui paullum aliquid ultra primas literas progressi, falsam *sibi* scientiae *persuasionem induerunt.* Quint. *Induere se mucrone.* Virg. Cum se nux plurima silvis *induet in florem.* Virg.

Incido. Leges *in aes incidere.* Cic. *Incidere marmori.* Svet. *Incidere in sepulchro.* Cic.

Induco. Parens potuit animum inducere, ut naturam ipsam vinceret. Cic. In *animum induxi meum.* Terent.

Inspergo. Folia *inspergunt potionibus.* Plin. *Inspergere oleum sale.* Cato.

Interdico. Ut *aqua et igni* nobis *interdicatur*, al. interdicamur. Brut. XI. ep. I. Cic. Fam. V. Ut M. Tullio *aqua et ignis interdicatur.* Cic. Ariovistus *omni Gallia Romanis interdixit.* Caes. *Feminis purpurae usum interdicimus?* Liv. *Interdixit histrionibus scenam.* Sveton. Caesaris leges iubent, ei, qui Maiestatis damnatus sit, *aqua et igni interdici.* Cic. Non recte ergo dicitur *aliquem re aliqua*, verum *alicui rem*, vel *alicui re interdicere.*

Intercludo. Pontis atque itinerum angustiae *multitudinis fugam intercluserunt.* Caes. Ut *frumento, commeatuque Caesarem intercluderet.* Idem.

Ludo. *Carmini* qui *lusi* pastorum. Virg. *Ludere vetita* legibus *alea.* Horat. *Ludere aleam.* Sveton. Ita est vita hominum, quasi cum *ludas tesseris.* Terentius.

Migro. *Migrare domo.* Cic. Ut non e vita, sed tanquam *e domo* in domum videretur *migrare.* Nep. Cassita *nidum migravit.* Gell. *Migravit ab aure* voluptas. Hor. *Migrare* cum *Acc.* significat *transgredi, non observare.* Sic Cicero saepius habet: *migrare communia iura, ius civile, ea migrare*, et non servare.

Mitto. Nunquam ad suorum *quemquam* literas *misit*, quin *Attico mitteret*, (scriberet) quid ageret. Nep.

Nubo. *Viro saevo nupta* puella. Horat. *Quicum* Alcumena est *nupta*, Electri filia. Plaut. *Apud duos nupta.* Gell.

Quaero. Non *quaero abs te*, quare patrem occideret Roscius. Cic. Dion *quaesivit a medicis*, quemadmodum Dionysius se haberet. Nep. Scripsit ad me, *te ex se quaesiisse.* Cic.

Scribo. Si quid novi fuerit, statim *tibi scribam.* Cic. *Ad omnes* exercitus, *legatosque scriptae* sunt epistolae. Tacit. Simpliciter *ad necessarios suos* quisque *scripserat*, quae sentiebat. Curt.

Verto. Quis erit, *vitio* qui id *vertat tibi.* Plaut. *Vertere in voluptatem gulae.* Plin.

Plura ex usu, et lectione.

V. Sunt quaedam verba, quae pro *diversa significatione diversos casus* adsciscunt, praecipue nunc *Dat.*, nunc *Acc.*, nunc *Abl.* cum praepositione, ut:

Accedo tibi, i. e. assentior. E. g. *Accedam* in plerisque *Ciceroni.* Quint. Item accresco, accrementum fio. E. g. Ad haec mala hoc *mihi accedit* etiam. Terent.

Accedo te, vel *ad te*, i. e. adeo, venio, e. g. Polystratus siti maceratus *fontem accessit.* Curt. Eumenes adolescentulus *ad amicitiam accessit* Philippi. Nep.

Aemulor tibi, i. e. invideo. E. g. Cum corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates, eoque magis incendi, quod *iis aemulemur*, quia ea habent, quae nos habere cupiamus. Cic.

Aemulor te, i. e. imitor. E. g. *Studium* Philosophiae et *placita* Stoicorum *aemulatur.* Tac. Videtur *aemulari Homerum* proximus potuisse. Quint.

Animadverto aliquid, i. e. observo. E. g. Quid est Catilina? ecquid attendis? an *animadvertis* horum *silentium*? Cic.

Animadverto in aliquem, i. e. punio. E. g. Cato *in* *complures nobiles animadvertit.* Nep.

Ausculto tibi, i. e. obtempero. E. g. Nec quid agam, certum est: Pamphiliumne adiuvem, an *auscultem seni.* Ter. Nisi *me auscultas*, atque hoc, ut dico, facis. Plaut.

Ausculto te, i. e. audio. E. g. *Eum auscultabo* lubens. Plaut.

Caveo tibi, i. e. provideo, ut amico. E. g. Melius *ei cavere volo*, quam ipse aliis solet. Cic.

Caveo aliquid, i. e. vito, declino. Nihil credam, et *omnia caveo.* Cicero. Caveo de aliqua re, i. e. cautionem facio. E. g. *Cavere obsidibus de pecu-*

nia. Caes. Item, quod nihil *de iis testamento cavisset. Svet.*

Consulo tibi, i. e. provideo, vel prospicio tibi. E. g. Deus *consulit rebus humanis*, nec solum *universis*, verum etiam *singulis*. Cic. Non *universo generi* hominum solum, sed etiam *singulis* a Deo immortali *consuli* solet. Cic.

Consulo te, i. e. consilium peto a te. E. g. Athenienses *consulebant Appollinem Pythium*, quas potissimum religiones tenerent. Cic.

Consulo in te, i. e. statuo. E. g. In secundis rebus nihil *in quemquam* superbe, ac violenter *consulere* decet. Cic.

Consulo boni, i. e. bonum iudico. E. g. Tu tamen haec quaeso, *consule* missa *boni*. Ovid.

Cupio aliquid, i. e. desidero, expeto. E. g. Non semper bonum illud est, *quod cupimus* ardenter. Tusc.

Cupio tibi, i. e. faveo, e. g. Tibi, *cui* maxime *cupio*, satisfaciam. Cic. Reperiebat: Dumnorigem favere, et *cupere Helvetiis*. Caes. Nonnunquam cum Abl. causae, ut: *cuius causa omnia cupio*.

Deficit mihi, vel *me*, i. e. deest, ut superius dictum. Deficere ab aliquo, i. e. desciscere. E. g. Difficile est amicitiam manere, si *virtute defeceris*. Cicero.

Do tibi literas, i. e. do tibi alio perferendas. E. g. Multi erant, *quibus* recte *literas dare* possis. Cic.

Do ad te literas, i. e. scribo ad te. E. g. Cum *dedissem ad te literas* tristes, et metuo, ne veras. Cicero.

Horreo tibi i. e. timeo tibi. E. g. Nemo iam parens *filio horret*. Plin.

Horreo te, i. e. timeo te. E. g. Nunquam custodibus *nocturnum* stabulis *furem*, *incursusque* luporum, aut *impacatos* a tergo *horrebis Iberos*. Virgilius. *Horrere Divinum Numen*. Cicero. Omnes gentes Alexandri *nomen horrebant*. Iust. Ingrati animi *crimen horreo*. Cicero. Dicitur etiam cum Abl. *horrere aliqua re*, e. g. Ager *horret ha-*

stis. Virg. Phalanx *horrens hastis.* Liv. Terga *horrentia setis.* Ovid.

Impono aliquid tibi, vel in te. E. g. *Imposuit arci praesidium* militum. Curt. *In cervicibus* aliquorum *sempiternum dominium imponere.* Cic. *Imponere aliquem in equum.* Liv.

Impono tibi, i. e. decipio te. E. g. *Cui* tamen egregie *imposuit* Milo noster. Cic.

Incumbo alicui, i. e. innitor. E. g. At tua centenis *incumbunt* tecta columnis. Mart. *Incubuitque toro*, dixitque novissima verba. Virg. Alexander hortari nauticos coepit, *incumberent remis.* Curt.

Incumbo in aliquid, val *ad alquid.* i. e. obnixe operam do. E. g. Tota mente, omnique animi impetu in *rempublicam incumbas.* Cic. Quamobrem, mi Plance, *incumbe* toto pectore *ad laudem.* Cic. Incumbe *in eam curam, et cogitationem*, quae tibi summam dignitatem, et gloriam adferat. Cic. Etiam cum Dativo hac significatione dixit Plinius: *Ceris et Stylo*; *rogandis legibus* Florus. *Labori.* Silius. *Novae cogitationi toto* pectore *incumbam.* Auctor. Dial. de Orat. cap. 3.

Interest, i. e. interponitur. E. g. Quem, qui murus *interest*, non timeo. Cic. *Ni interfuerint* decem anni. Cic.

Interest inter hoc, et illud i. e. differentia est. E. g. *Inter hominem, et belluam* hoc maxime *interest.* Cic.

Interest huic, i. e. differt. E. g. *Stulto* intelligens quid *interest?* Ter. i. e. quantum diligens a stulto differt?

Interest illius, *mei*, *tui*, *sui*, *nostri*, *vestri*, vel *mea*, *tua*, i. e. refert, seu utile est. E. g. *Utriusque nostrum* magni *interest.* Cic. Et *mea* et *tua* maxime *interest* te valere. Cic.

Interesse ad aliquam rem. E. g. Equidem *ad nostram laudem* non multum video *interesse*, sed *ad properationem meam* quiddam *interest.* Cic.

Interesse alicui rei, vel in aliqua re, i. e. adesse. E. g. *interfuit pugnae*, *praelio*, Caes. *Negotiis*, *consiliis.* Cicero. Ne *in Convivio* quidem ullo *in-*

terſuisse, etc. Cic. Rosc. *Quibus in rebus* ipsi *interesse* non possumus. Idem.

Maneo 1) significat absolute commoror. *Maneas* apud me cum tuis. Cic. 2) *Maneo te*, i. e. exspecto. E. g. *Poena te manet.* Liv. *Omnes* una *manet* nox, et calcanda semel via leti. Horat. Qui nudus, atque inermis, *hostem maneat:* ei etc. Liv.

Merere sibi aliquid, e. c. mercedem. Neque hodie, ut te perdam, *meream*. Deum (pro Deorum) *divitias mihi merere; praemia, laudem etc.* saepius occurrit: *merere equo*, i. e. equo militare. *Merere*, vel *mereri* bene vel male *de aliquo.* E. g. *Meruisse optime de republica. Cic.*

Metuo tibi, i. e. solicitus de te sum ut amico. E. g. Tria tempora *fructibus metuebant.* Plin.

Metuo te, vel *a te*, ut hostem, vel ab hoste. *Quem metuunt*, oderunt. Cic. *Metuunt a me* insidias. Idem. Metuo malum reipublicae ab eo. Cic. 7. Att.

Prospicio meae saluti, i. e. procuro salutem. *Prospicio novum periculum*, i. e. praevideo. E. g. Consulite vobis, *prospicite patriae*. Cic. Fortuna *origini Romanae prospexit*. Iust. Isthoc est sapere, non quod ante pedes modo est, videre, sed etiam *illa*, quae futura sunt, *prospicere*. Terent. In eo fallimur, quod *mortem prospicimus*. Sen.

Peto a te, i. e. rogo te. E. g. Orithya, Amazonum Regina, auxilium *a Rege* Scythiae *petit*. Iust. Quapropter *a te peto* maiorem in modum, ut me absentem diligas, atque defendas. Cic. Illud *abs te peto*. Idem. Tantum *ex te peto*. Idem. *Peto mihi aliquid*, fere idem, ac adfero mihi aliquid, ut: Unde *mihi peterem cibum?* Terent. Tiberius *Germanico Caesari* proconsulare Imperium *petivit*. Tac.

Petere locum, vel urbem, i. e. ire. Paulus per Thessaliam *Delphos petit*, inclitum oraculum. Liv. Naves onustae *petunt Rhodum*. Cic. Summam *petit* arduus *arcem*.

Peto te, *e. g. gladio*, i. e. ferio. Inimicos *sagitta* eminus, *hasta* cominus *petimus*. *Curt.* Non se, quem

perfida deceperit, *ferro peteret*. Tac. Quem *petunt* haec verba?

Recipio tibi, i. e. promitto. *Recipio vobis* celeriter me negotium ex sententia confecturum.

Recipio aliquem, vel aliquid, i. e. suscipio, vel iterum accipio. *Lysonem* in necessitudinem tuam *recipias*. Cic. *Res amissas recipere*. Liv. Alexander, ut securum medicum conspexit, laetior factus est, *sanitatem*que quarta die recepit. Iust.

Recipio me domum, i. e. confero me domum. Ipse me *Laodiceam recipiebam*. Cic. Eumenes *se*, simul ac potuit, ad Antipatrum *recepit*. Nep. *Recipere sè ad bonam frugem*. Cic. pro Coelio.

Renuncio muneri, i. e. recuso. *Civilibus officiis renunciare*. *Quint*.

Renuncio aliquem, i. e. declaro, proclamo. *Renunciare Consulem*. *Cic*.

Vaco alicui rei, i. e. operam do. Omnia impedimenta dimitto *et vaco bonae menti*. Sen. *Philosophiae* semper *vaco*. Cic. *Libellis legendis*. Svet. *Foro*. Quint.

Vaco aliqua re, i. e. careo. *Vacare culpa* magnum est solatium. Cic. *Vacare a metu*. Liv. *A custodibus* classium. Caes.

Vaco absolute, i. e. otium habeo. Nunquam aut valde raro *vacat* Romae audire recitantem. Plin.

Non vacat mihi, i. e. non otium habeo.

Vacat locus, i. e. vacuus est.

Plura similia diligens classicorum auctorum lectio suppeditabit.

C) Syntaxis Verborum cum Accusativo.

Quae verba regunt Accusativum?

I. Omnia *verba activa*, seu *transitiva* tam finita, quam infinita regunt Accusativum eius, in quod transit actio verbi, e. g. Haec studia *adolescentiam alunt*, *senectutem oblectant*, *secundas res ornant*. *Cic*. *Amat* bonus *otia* Daphnis. Virg. *Dicite iustitiam moniti et non temnere Divos*. *Virg*.

Nota. Pro Accusativo interdum est *Infinitivus*; e. g. *Cupio ludere*, pro *lusum*. *Disco canere*, pro *cantum*.

II. *Verba deponentia*, quae active significant, ut: *Amplector virtutem, sequor ducem, imitor Ciceronem.* Faciatis, e quibus appareat, non *voluptatem* vos, sed *officium sequi*. Cic. Conqueri *fortunam adversam*, non lamentari decet. Cic. Nulla ars *imitari solertiam* naturae potest. Cic. Torvo leaena *lupum sequitur*, lupus ipse *capellam*. Virg. *Ignaviam sequitur* egestas. Morsu *depascitur artus*. Virg.

III. *Neutrorum* quoque par ratio est, cum significant actionem transeuntem, ut: *Formosum* pastor Corydon *ardebat Alexim*. Virg.

Nota 1). Quaedam intransitiva etiam neutra, hoc est: absolutum aliquid per se significantia, regunt Accusativum *) *suae originis* vel *cognatae significationis*.

Suae originis, ut:

Servio servitutem. Plaut. *Furit furorem*. Virg. *Bello bellum*. Liv. *Erro errorem*. Gell. *Ludo lusum*. Terent. *Gaudeo gaudium*. Coelius. *Pugno pugnam*. Plaut. *Somnio somnium*. Idem. *Noceo noxam*. Liv. *Iuro iusiurandum*. Cic. Ingenui sunt quorum maiorum nemo *servitutem* servivit. Cicero. Modice et modeste me *vitam vivere*. Plaut. Idem faciunt et *deponentia*, quae neutraliter significant, ut: *sequi sectam*, *praelium*. *mori mortem*.

Cognatae significationis, ut:

Eo, repo, curro viam, stadium, mille passus. *Pastillos* Rufinus *olet*. Gorgonius hircum. Hor. *Olet vinum*, *olet unguenta* de meo. Ter. Vox non *sonat hominem*. Virg. *Vineta crepa*, mera. Horat. Qui Curios simulant, *et Bacchanalia vivunt*. Iuvenal. Meliora unguenta sunt, quae *terram*, quam quae *crocum sapiunt*. Plin. H. N. *Antiquitatem recolit*. Cic. Gens inimica mihi Tyrrhenum *navigat aequor*. Virg. etc.

---

*) Accusativus hic saepe in Ablativum vertitur, ut: *Vivere vita honesta*, *obire morte repentina*, *ludere alea*, *pila etc.*

Nota 2). Huc revocantur verba, quae ad rem rusticam pertinent, ut: aro, puto, rigo, sero, ablaqueo, colo, fodio, meto, occo, pastino, planto, sarrio, semino, stercoro, vanno, vindemio, e. g. *Serunt arbores*, quae alteri seculo prosint. Cic. Tusc.

Nota 3) Multa etiam alia verba neutra accusandi casum admittunt; *) quae Grammatici vocant *Neutro-Activa*, ex usu et lectione discenda, e. g. *Exhalo crapulam; stupeo, obstupeo rem novam, sonare laudes suas, crepare opes suas, anhelo patriam, doleo mortem hominis, sitio sanguinem, erubesco factum, inclamo fratrem, horreo omen. etc.*

IV. Construuntur cum *Acc.* aliquando *certa verba composita intransitiva*, seu *neutra vi praepositionis*, cum qua sunt composita, ut cum *ad*, *circum*, *in*, *inter*, *ob*, *praeter*, *sub*, *subter*, *trans*. E. g.

Ad) Pythagoras et Aegyptum lustravit, et Persarum *magos adiit*. Cic. Timotheus socios adiunxit Epirotas, omnesque eas gentes, quae *mare illud adiacent*. Nep.

Circum) Adrianus *orbem Romanum circumivit*. Eutr. Triginta tyranni *Socratem circumsteterunt*, nec potuerunt animum eius infringere. Sen. Veneti *sinum circumcolunt* maris. Liv.

In) Xerxes cum tantis *Europam* copiis *invasit*, quantas neque antea, neque postea habuit quisquam. Nep.

Inter) Tanais *Europam et Asiam* medius *interfluit*. Curt. *Urbem Celaenas mediam interfluebat* Marsyas amnis, fabulosis Graecorum carminibus inclusus. Curt.

---

*) Accusativos hos non a verbis his neutris, sed a praepositionibus *propter*, *per*, *ad*, etc. suppressis regi, Grammatici nonnulli contendunt, e. g. *Doleo casum tuum*, scilicet: *propter* casum tuum. *Stygias iuravimus undas*. Virg. scil. *per* Stygias etc. Si Xerxes *maria ambulavisset*, *terram navigasset*. Cic. pro: *per maria*, *per terram*. *Ire exequias*, pro: *ad exequias*, etc. At non omnia per praepositiones suppressas explicari posse manifestum est.

Ob) Pythagoras *multas regiones* barbarorum pedibus *obiit*. Cic. Quaeritur, sitne honestum, gloriae causa *mortem obire*. Cic.

Praeter) Sententiae saepe acutae non acutorum hominum *sensus praetervolant*. Cic.

Sub) Corporis nostri infirmitas multos *subit casus* per se. Cic. Miserior est, qui suscipit in se scelus, quam is, qui alterius *facinus subire* cogitur. Cicero.

Subter) Ulyssem insimulant tragoediae, simulatione insaniae *militiam subterfugere* voluisse. Cic.

Trans) Qui appetitus non satis a ratione retinentur, hi sine dubio *finem et modum* transeunt. Cic. Peccare est, tamquam *transilire lineas*. Cic. *Alpes* nemo nunquam cum exercitu ante Annibalem *transierat*. Nep.

Nota 1) Verba *transitiva seu activa* cum praepositione *trans* composita assumunt saepe duplicem Accusativum; alterum regiminis verbi, alterum vero praepositionis: e. g. Caesar *exercitum Ligerim transducit*. Caesar. Agesilaus *Hellespontum copias traiecit*. Nepos. Annibal *nonaginta millia* peditum, *duodecim millia* equitum *Iberum* traduxit. Liv.

Nota 2.) Non tantum *verba neutra*, sed etiam *deponentia et passiva* vi praepositionis, cum qua sunt composita, assumunt Accusativum; e. g. Stella Veneris Lucifer dicitur, cum antegreditur *solem*; cum subsequitur autem, Hesperus. Cic. *Scopulos praetervecta* videtur oratio mea. Cic. Darius equo *suos est circumvectus*. Just. Domitius *Laodiceam* urbem Syriae *appulsus est*. Tacit.

Nota 3.) Quaedam ex compositis his verbis repetunt praepositionem ante nomen: imprimis *ad*, *in*; *trans*; e. g. Qui *ad nos* intempestive *adeunt*, molesti saepe sunt. Cic. Improbi sunt, qui in *fortunas* majorum *invadunt*. Cic. Caesar ab Ariovisto postulabat, ne quam multitudinem hominum amplius *trans Rhenum* in Galliam *transduceret*. Caesar.

V. Saepe numero *verbis* etiam *passivis*, praesertim apud Poëtas, adiungitur Accusativus loco Ablativi, e. g. Vittis, et sacra *redimitus tempora* lauro, Virg. i. e. temporibus; sive: *habens tempora redimi-*

ta vittis: et sacra lauro. Nunc viridi *membra* sub arbuto *stratus.* Liv. *Indutus thoracem.* Curt. *Indutus vestem.* Liv. *Fractus membra.* Hor.

Quae verba regunt duos Accusativos?

Sunt quaedam verba *activa*, quae *duos Accusativos* adsciscunt, unum personae; alterum rei, aut *) utrumque Acc. eandem personam, aut rem, sive per *appositionem*, sive alia declaratione notantem **)

*) Prioris ordinis praecipua verba sunt: *doceo*, *edoceo*, *dedoceo*, *erudio*, *celo*, *moneo*, *admoneo*, *rogo*, *oro*, *exoro*, *precor*, *flagito*, *exigo*, *posco*, *reposco*, *interrogo*, *consulo*, etc. E. g. Philosophia *nos* cum *ceteras res omnes*, tum, quod est difficillimum, *docuit*, ut nosmet ipsos nosceremus. Cic. Ridiculi sunt, qui quod ipsi experti non sunt, *id docent ceteros.* Cic. Fortuna belli *artem victos* quoque *docet.* Curt. *Ciceronem* Minerva *omnes artes edocuit.* Salust. *Natum damnosas erudit artes.* Ovid. O virum simplicem, qui *nos nihil celet.* Cic. *Eam rem* locus *nos admonuit. Illud me* praeclare *admonet.* Cic. *Illud te* ad extremum oro, ut in negotio tuo diligentissimus sis. Cic. *Me frumentum* flagitabant, quasi vero ego rei frumentariae praefuissem. Cic. Verres *parentes pretium* pro sepultura liberum *poscebat.* Cic. Nulla salus bello, *pacem te poscimus* omnes. Virg. Legati Eutenses a suis civibus habuere mandata, ut ad Verrem adirent, et *eum simulacrum* Cereris et Victoriae *reposcerent.* Cic. Racilius *me* primum *sententiam rogavit.* Cic. *Puscionem quemdam* Socrates *interrogat quaedam Geometrica de dimensione* quadrati. Cic. Ibo, et *consulam hanc rem amicos.* Plaut. Ut *te veritatem exigant.* Cic. de Leg. quod rarissimum est.

**) Ordinis posterioris verba praecipua sunt: nuncupo, appello, nomino, dico, praedico, voco, habeo, puto, existimo, iudico, designo, creo, declaro, renumero, cognosco, deprehendo, reperio, facio, praesto, praebeo, do, adiungo, peto, ex-

peto, sumo, capto, capio, volo, desidero, quaero, iubeo, procreo, sequor, etc. e. g. *Iulum* gens Iulia *auctorem* nominis sui *nuncupat*. Liv. *Omnes perturbationes* animi *morbos* philosophi *appellant*. Cic. Multi Reges in honorem Augusti condebant civitates, *quas Caesareas nominabant*. Curt. Reges *suos* Romani *Caesares*, *Augustosque cognominavere*. Iust. *Iram* bene Ennius *initium dixit* insaniae. Cic. Exercitus *Diocletianum Imperatorem creavit*. Eutr. Aristoteles quodam loco *mundum designavit Deum*. Cic. *Ciceronem* universus populus *Consulem declaravit*. Cic. Lacedaemonii regibus suis augurem assessorem dederunt. Cic. Homerus principibus Heroum *certos Deos*, periculorum *comites adiungit*. Cic. Philippus Rex *Aristotelem* Alexandro filio *Doctorem* accivit. Cic. Artaxerxes *Iphicratem* ab Atheniensibus *petivit ducem*. Nep. Tibi *optionem sumito Leonidam*. *Plaut*. *Habes somnum* imaginem mortis. Cic.

Nota 1.) Nonnulla superius enumerata verba, ut: *orandi*, *monendi*, *consulendi*, et alia praeter *Accusativum personae* non promiscue quosvis alios rei, sed communes hos omnibus fere verbis Accusativos admittunt: *hoc*, *istud*, *illud*, *id*, *idem*, *quod*, *quid*, *aliquid*, *siquid*, *quiddam*, *quidpiam*, *quidquam*, *nihil*, *nonnihil*, *pauca*, *multa*, *unum*, *duo*, *tria*; e. g. Itaque *et hoc obsecrat*. Cic. *Illud te* ad extremum *et oro et hortor*. Cic. Et ante *id operam do*. Cic. *Nec te id consulo*. Cic. *Hortare idem* per literas *Cassium*. Cic. *Unum exorare vos* sinite. Cic. *Pauca* pro tempore *milites cohortatus*. Sall.

Nota 2.) Verba *doceo*, *edoceo*, *moneo*, *admoneo*, *rogo*, *posco*, *exoro* retinent Accusativum rei etiam in passivo; e. g. Hipponiates sub Annibale magistro *omnes* belli *artes edoctus est*. Liv. Latinae legiones longa societate *militiam Romanam sunt edoctae*. Liv. *Dulces docta modos*. Horat. *Motus doceri* gaudet *Jonicos* matura virgo. Horat. Nec ea, *quae admonemur*, *audimus*. Cicero. Porcius Cato *rogatus est sententiam*. Sall. Non tantum *segetes*, *alimentaque debita* dives *pascebatur* humus. Ovid. Neges *illa* hominem posse *exorari*. Cic. Quae vero verba duos Accusativos eandem personam aut rem per appositionem notantes admittunt, in passivum mutata duobus

Nominativis, ut superius de appositione dictum est, iunguntur; e. g. Omnes rectas animi affectiones virtutes appellamus; in passivo cum Cicerone Tusc. 2. 43. dices: *Omnes rectae* animi *affectiones* virtutes *appellantur*.

Nota 3) *Interrogo*, *percontor*, *celo*, *moneo*, *commoneo*. Item *doceo*, *edoceo*, *erudio*, *pro certiorem facio*, saepe pro *Accusativo* rei adsciscunt *Ablativum* cum praepositione *de*, e. g. Equidem soleo dare operam, ut *de sua* quisque *re me* ipse *doceat*. Cic. Quid est tam arrogans, quam *de religione*, *de rebus divinis* pontificum *collegium docere* conari? Cic. Visne, ut ego *te* vicissim *iisdem de rebus* latine *interrogem*? Cic. Ego *illum de suo regno*; ille *me de nostra republica percontatur*. *Cic*. *De armis*, *de ferro*, *de insidiis te celare* voluit. Cic. Oro, ut *Terentiam moneatis de testamento*. Cic. Literae tuae *me erudiunt de omni republica*. Cic. Putavi *ĕa de re* te esse *admonendum*. Cic.

Nota 4) *Celo* etiam Dativo gaudet, maxime voce passiva. E. g. Si hoc *celetur patri*, in metu sum. Plaut. Quod neque *celari Alexandrinis* posset. Hirt. de B. Alex. Ubi est, diu *celari* non potest. Terent. hic absolute sine Dativo ponitur.

Nota 5) *Erudio*, *instituo*, *instruo*, *imbuo*, *informo*, quamvis sint verba docendi, non tamen geminum Accusativum habent, sed Ablativum cum Accusativo, e. g. Lentulum nostrum cum *ceteris artibus*, tum imprimis *imitatione* tui fac *erudias*. Cic. *Quibus* ille *studiis* ab ineunte aetate *se imbuerat*. Cic. Dicimus etiam, exemplo probatissimorum auctorum, aliquem *in arte poëtica erudire*, *instituere* aliquem *ad omnem modestiam et humanitatem*. In *iure civili*, vel ad cultum divinum erudire. Cic. Rudem *ad dicendam instituere*. Idem. *Docere aliquem fidibus* dixit Cicero (fortasse subintelligitur *canere*.) Alibi vero: *Graecis* literis satis doctus. Idem. Mulier *literis Graecis et Latinis docta*. Sallust.

Nota 6) Prisci dicebant: *exigo pecunias*, *portorium*, *etc*. quare videntur etiam dixisse: *exigo te pecunias*, *portorium*; et ut in supra citato Ciceronis exemplo: *Ut te veritatem exigant*, quae seculum eruditius reiecit. Vide Gell. L. 16. C. 15.

Nota 7) *Verba petendi* *) *et percontandi* praeter Acc. rei, fere Abl. personae cum praep. *a vel ab* habent. Ut: *reposco ab aliquo* vitae rationem. Cic. *Ab adversariis percontatur* accusator. Idem. Sunt *ex te*, quae *solus citari* volo. Plaut. Omnia volo *a me et postules*, et exspectes. Cic. Nunc *a te* illud primum *rogabo*. Cic. Nunc me *orare a vobis* iussit Iupiter. Plaut. Quid studia *a te flagitent*, tu videbis. Cic.

*) *Peto*, Acc. personae non regit in significatione rogandi. Non enim dicitur *peto te*, sed *peto a te*. Ac licet Virgilius 6. Aen. habeat: *Ut te* supplex *peterem*, et tua limina adirem. Linacer praeterea duo adfert exempla: Tacit. L. 12. Experimentis cognitum est, Barbaros malle *Romam petere Reges*, quam habere; et Plin. 3. 1. Turduli *iura Cordubam petunt*. i. e. petere Reges a Roma, petunt iura a Corduba; haec tamen figurata esse, aut poëtica, meminerit tiro, nec sibi facile imitanda.

Nota 8) Quando *iubeo* idem significat, quod *decerno*, *statuo*, *creo*, tantum Acc. rei, vel personae admittit, nunquam Dat. ut: populus Romanus *legem iussit* de civitate tribuenda. Cic. Cum populus *Regem iussisset*. Liv. i. e. creasset. Cum vero significat *imperare*, fere iungitur infinitivo cum Acc. Sed interdum etiam cum Dat. personae, et particula *ne vel ut*, reperitur, quod tamen passim usurpandum haud videtur. E. g. Lycurgus *convivari omnes* publice iussit. Iust. Lycurgus *virgines* sine dote *nubere iussit*, ut uxores eligerentur, non pecuniae. Idem. Alexander *sepulcrum* Cyri *iussit aperiri*. Curt. *Iubeo te bene sperare*. Cic. Aliquando infinitum e proximo intelligitur. Aut si respexeris, donec ego te *iussero*. Plaut. ubi intelligitur *respicere*. Literas de te a M. Lepido, non quae te aliquid iuberent (nempe *facere*) sumsimus. Alioquin Acc. personae non habet, sed rei. E. g. Lex *iubet ea*, quae facienda sunt, prohibetque contraria. Cic. Quis scit: an *quae iubeam*, sine vi faciat. Ter. Cum *ut vel ne*, et Dat. personae, e. g. *Militaribus suis iussit*, *ne* qui eorum violarentur. Caes. Populus *iussit*, *ut* statuae Verris demolirentur. Cic. Verr. 2. 161. Hercules sacrorum *custodibus iussit*, ne mulierem interresse per-

mitterent. Macrob. L. I. Sat. c. 12. *Iussit*, *ut* peterent Liv. 33. 16. Iuberentque, *ut* etc. Cic. I. 17. Senatus decrevit, populus *iussit*, *ut* etc. Cic. Ver. 2. 67. Velitis, *iubeatis ut* etc. Gell. 5. 19. Dii *iubeant ut* etc. Ovid. Heroid. I. 101. *Iubeat*, *ut* facerem. Hor. Sat. I. 4. 121. *Iubet*, *ut* dicam. Plaut. Amph. I. 50. *Quibus iusserat*, *ut* resisterent. Tacit. Ann. XIII. 40. Saepe etiam sine *ut* cum solo Coniunctivo. E. g. *Iube*, *mihi respondeat*. Ter. Eun. IV. 4. 24.

D) Syntaxis Verborum cum Ablativo.

Quae verba regunt Ablativum?

I. *Passiva* verba omnia *Ablativum* agentis adsciscunt cum *praepositione a vel ab*, ut: *laudatur ab his, culpatur ab illis.* Horat. Ego quoque *a meis* me *amari*, et magni *pendi* postulo. Terent.

Nota 1) Fit hic Ablativus ex Nominativo activi, quemadmodum rursus Accusativus, quem activa adsciscunt, in Nominativum vertitur. Valla 3. 39. *Virgilius a me legitur : ego lego Virgilium. Cicero a Clodio proscriptus est*, *Clodius proscripsit Ciceronem.* De his Instit. Gram. P. II. pag. 285. fusius.

Nota 2) Interdum Abl. cum praepositione, praesertim apud Poëtas. in Dat. mutatur, ut: *visus mihi*, pro visus a me. Tota *mihi dormitur* hiems. Mart. Non *intelligor ulli.* Ovid. *Nulli exaudita* Deorum vota, precesque meae. Virg. pro *a nullo.* Sed tamen etiam a prosae scriptoribus nonnunquam usurpatur, ut: *ego audita tibi* putaram. Cic. *Munitur nobis* via. Idem. *Omnibus videbatur probari* oratio mea. Cic. Magno studio *mihi* est a puero *elaboratum.* Cic. Huiusmodi Dat. *Servius* octavum casum esse ait; *Linacer* vero L. 6. ad Hellenismum refert, quod in hisce dictio non ei casui iungitur, quem Latina proprietas exigit, sed Graeca; ut supra de Dativo dictum.

Nota 3) Quae verba post Acc. admittunt Abl. personae, dum activa passivis permutantur, perturbatur sensus, ut: *aufero a te vestem;* ne dixeris: *vestis aufertur a me a te. Accipio a te literas*, quam: *literae accipiuntur a me a te;* sed potius, ut ambiguitas vitetur,

sic efferendum est: *Vestis aufertur a me tibi*, *literae tuae accipiuntur a mè*. Quod in his ferme verbis potissimum observandum videtur: *accipio*, *aufero*, *eripio*, *surripio*, et huiusmodi.

Nota 4) Interdum loco Ablativi Accusativus addita praepositione *per* ponitur, ut: Id assequetur, si *per Praetorem* consules creantur. Cic. Cognomen id tibi *per te partum*. Idem.

II. Quaedam verba *neutra*, ut *passionem* significant, ita passivorum more construuntur, quae et *neutro-passiva* dicuntur. E. g. ita testis in reum rogatur, an *ab eo* fustibus *vapulasset*. Quint. L. 9. c. 2. Fabricius respondit: a cive se spoliari malle, quam *ab hoste venire*. Idem. L. 12. c. 2.

Nota 1) *Fio* eleganter cum Ablativo sine praepositione iungitur, sed alia significatione. E. g. Nunc primum audio, quid *illo sit factum*. Terent. Interdum additur praepositio *de*. E. g. Quid *de P. Clodio fiat*, rescribe. Cic. Iungitur etiam, sed raro admodum cum Dativo. E. g. Quid *mihi fiet* postea? Plaut.

Nota 2) Participium *futurus*, eodem sensu, eosdem casus postulat. E. g. Quid *me futurum* censes. Ter. Ut sciam, quid *de nobis futurum sit*. Cic. Vide, quaeso Antoni, quid *tibi futurum sit*. Idem.

Nota 3) Verbum *facio* eodem modo usurpatur a doctis, quo verbum *fio*. E. g. Quid *hoc homine faciatis*? Cic. Quid tu *huic homini facias*? Idem.

Nota 4) *Exulo*, est privari patria; *liceo*, est in auctione aestimari. Utrumque aut absolute, aut cum communibus casibus usurpatur, ut: exulo Rhodi, a patria: domus licet plurimi; *Domo exulo*. Ter. *Unius assis* nonnunquam *pretio pluris licuisse*. Hor.

III. Verba, quae *copiam*, aut *inopiam* significant, multaque alia quae memoriae iuvandae causa versibus expressa subiiciuntur, *Ablativum* adsciscunt, ut:

His egeo, *indigeo*, *careo*, *vaco*, *victito vescor*,
Vivo, *supersedeo*, *potior*, *delector abundo*,
Mano, *redundo*, *fluo*, *scateo*, *fruor*, atque *laboro*,
Glorior, *oblector*, *laetor*, quibus addito *nitor*,
Consto, *pluit*, *valeo*, *possum*, *sto*, *fungor*, *et utor*,
Quem Graeci ignorant, casum tribuere Latini.

E. g. Quid adferre consilii potest, qui ipse *eget consilio?* Cic. Atticus familiares suos, *quibus rebus indiguerunt*, adiuvit. Nep. Miserum est, *carere consuetudine* amicorum. Cicero. *Vacare culpa* magnum est solatium. Cic. *Vescimur bestiis, et terrenis, et aquatilibus, et volatilibus.* Cic. Augustus Alexandria, quo Antonius cum Cleopatra confugerat, brevi *potitus* est. Svet. *Abundarunt* semper *auro* regna Asiae. Liv. Antiochia quondam *eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis affluebat.* Cic. Unde possum scire, quantum adversus paupertatem tibi animi sit, *si divitiis diffluis?* Sen. *Metallis plumbi*, ferri, aeris, argenti, auri, tota fere Hispania *scatet.* Plin. Munus animi est, *ratione* bene *uti;* et sapientis animus ita semper affectus est, ut *ratione* optime *utatur.* Cic. Commoda, *quibus utimur*, lucemque, *qua fruimur*, spiritumque, quem ducimus, a Deo nobis dari, atque impertiri videmus. Cic. Multi intemperanter *abutuntur otio, et* literis. Cic. Natura fert, ut eis faveamus, qui eadem pericula, *quibus nos perfuncti sumus*, ingrediuntur. Cic. *Virtute* decet, non *sanguine* niti. Claud.

Nota 1) Huc etiam pertinent *periclitor* cum ad periculum refertur. E. g. *Periclitatur capite* Sosades noster. Cic. Sic dicimus: *periclitari fama, siti, morbo.* etc.

Dicitur tamen hoc sensu etiam: periclitari in exemplis. Cic. off. *periclitari* ex canis rabiosi *morsu.* Plin. 32. 4.

Quando autem significat *experior*, ad verba Accusativum regentia pertinet, e. g. Omnia circumspexi, omnia *periclitatus sum.* Cic. *Periclitari* et experiri *pueros.* Cic. 2. de Div.

Nota 2) *Egeo, et indigeo* etiam Genitivo iunguntur. E. g. Gravitas morbi facit, ut *medicinae egeamus.* Cicero. Res maxime necessariae non tam artis *indigent*, quam *laboris.* Cic. Italia *externae opis indiget.* Tacit.

Nota 3) Nonnunquam etiam *careo, abundo, et scateo*, licet rarius, Genitivo iuncta reperiuntur. E. g. Omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves, praeterquam *tui carendum*, quod erat. Terent. *Quarum et abundemus rerum.* Lucil. *Irarumque* scatebat. Gell. L. I. c. I. Cum pronominibus vero generis neutrius: *id, quod,*

quidquam etc. cum Accusativo, e. g. Nec *quidquam eges* Plaut. *Id* tuus *scatet* animus. Plaut. pro *ea re*.

Nota 4) *Potior* frequentissime, praesertim cum significat supremum dominium obtinere, Genitivo iungitur, e. g. *Atheniensium potiti sunt* Spartiatae, ad Heren. Prudentissima civitas Atheniensium, dum ea *rerum potita est*, fuisse traditur. Cic. Dion *totius eius partis* Siciliae *potitus est*, quae sub Dionysii potestate fuerat. Nep.

Nota 5) *Utor*, et magis *abutor* apud Comicos. Item: *fruor*, *fungor*, *potior*, *vescor*, *et pluo* interdum etiam Accusativum admittunt. E. g. Cetera, *quae* volumus *uti*, Graeca mercamur fide. Plaut. In prologis scribendis *operam abutitur*. Terent. Neque boni, neque liberalis *functus est officium* viri. Ille alter sine labore *patria potitur commoda*. Terent. *Ova vesci*. Plin. *Sacras* innoxia *lauros vescar*. Tibull. *Absinthium* vescuntur. Plin. *Sanguinem* per biduum *pluisse*. Liv. *Pluit lapides*. Val. Max.

Nota 6) *Consto*, *et laboro* frequenter praepositionem *e* vel *ex* ante Ablativum admittunt. e. g. Quum *constemus ex anima et corpore*. *Cic.* Actio *constat e voce* atque *motu*. *Cic.* *Laborat e dolore*. Terent. *Laborare ex desiderio*, *ex renibus*, *ex intestinis*, *ex pedibus*, *ex invidia*. Cic.

Nota 7) *Nitor*, *et glorior* etiam praepositionem *in* admittunt, ut: *In huius vita nititur* salus civitatis. Cic. *In virtute* recte *gloriamur*. *Glorior* etiam de admittit. E. g. Quaero, quis aut *de misera vita* possit *gloriari*, aut non de *beata*. Cic. *De tuis virtutibus* intolerantissime *gloriari*. Idem.

Nota 8) *Vaco*, saepius Ablativo cum praepositioe *a* vel *ab* iungitur, e. g. *Vacare a metu*, *a periculis*. Liv. Sapiens *ab omni concitatione* animi semper *vacat*. Cic.

Nota 9) *Vivo*, *victito* plerumque quidem iungitur Ablativo sine praepositione, ut: *Piscibus* atque *ovis* avium *vivere*. Caes. *Lacte et carne vivunt*. Idem. *Rapto vivere*. Idem. Verum Ovid. *Vivitur ex rapto*, non hospes ab hospite tutus. *De vestro vivito*. Plaut. *Vivere de lucro*. Cic. Dicitur etiam: *vivimus in diem*. Cic. *Vivere in literis*; *vivere cum aliquo*.

IV. Verba *implendi*, *onerandi*, *liberandi*, *vestiendi*, et his contraria; multa praeterea *privandi* praeter Accusativum adsciscunt Ablativum materiae. *)

*) Talia sunt: impleo, compleo, expleo, repleo, satio, saturo, farcio, refarcio, ingurgito, cumulo, augeo, obruo, locupleto, dito, beo, domo, exhaurio, viduo, spolio, nudo, orbo, emungo, privo, fraudo, everto, onero, premo, opprimo, levo, exonero, libero, solvo, exsolvo, expedio, abdico, alligo, obligo, adstringo, impedio, implico, irretio, illaqueo. Quibus adde adficio, muneror, dignor, prosequor, etc. E. g. *Implevitque mero* pateram. Virg. *Cumulare* aliquem *beneficiis*. *Obruere* aliquem *lapidibus*. *Augere* aliquem *honoribus*, *divitiis privare*, *spoliare* aliquem *veste*, *vita*, *dignitate*, *omni argento*. Sic etiam in passivo: *Privari rebus suis*. *Orbari parentibus*, *liberis*. *Afficere* aliquem *laetitia*, *cura*, *dolore*, *ignominia*, *prosequi* aliquem *odio*, *amore*, *benevolentia*. *Liberare* aliquem *culpa*, *invidia*, *suspicione*, *periculo*, *obsidione* saepius apud Ciceronem, sed occurrit etiam apud eundem: *liberare* aliquem *ab omni erratione*; *a quartana*, *a scelere*, ex *incommodis*. Eodem modo: *solvere*, *exsolvere*, *etc. solvere comas casside*. Ovidius. *Rates littore*. Lucan. Alibi vero: *solvere* rates *a littore*. *Civitatem religione*. Cicero. *Solvere* aliquem *legibus* vel *solvi legibus* frequens est apud Livium. *Exsolvere se suspicione*. Terent. Populum *religione*. Liv. Aliquem *aere alieno*. Idem *Expedire* se *cura*, *aerumnis*, *crimine*. Terent. Se *ab omni occupatione*, *se ex laqueis expedire*. Cic. *Levare* aliquem *onere*, *cura*, *etc*. Se *aere alieno liberare* aut *levare*. Me *molestia levarunt*; utinam omnino liberassent! Cic. Plautus etiam cum Genitivo dixit: Me *omnium laborum levas*.

Nota 1) *Impleo*, *et compleo*, *saturo*, *obsaturo*, etiam Genitivum admittunt. E. g. Ollam *denariorum implere* non potest. Cic. Adolescentes *suae temeritatis implevit*. Liv. Parasitus me *complevit flagitii*, *et formidinis*. Plaut. *Implentur veteris Bacchi*, *pinguisque farinae*. Virg. Sed Ablativus usitatior est. Raro Ablati-

vum habent cum praepositione *de* e. g. *De quibus volumina impleta sunt.* Cic. Hos nisi *de flava* loculos *implere moneta* non decet. Mart. Hae res *vitae me saturant.* Plaut. Postquam dextra fuit *caedis saturata.* Virg. Nec tu propediem *istius obsaturabere.* Terent.

Nota 2) Verba vestiendi iuncta voce activa cum duobus Accusativis apud veteres haud reperies; passiva vero voce *induo* apud Historicos, et Poëtas cum Accusativo rei invenitur. E. g. Itaque revocatus *vestem* fratris, *eam ipsam*, quae in cella posita fuerat, *induitur.* Curt. Lib. 10. Idem: Androgei *galeam*, clypeique *insigne decorum induitur.* Virg. Quamquam verbis *iubeo*, *et exuo* voce etiam activa unum fere rei Accusativum tribuunt Oratores, e. g. Quare *talaria induamus.* Cic. Nonne omnem *humanitatem exuisses?* Voce autem passiva Ablativum, e. g. Vir *indutus muliebri vestitu.* Cic. Mens *exuta vitiis.* Idem.

V. Quaedam verba activa, praeter Accusativum, Ablativum cum praepositione *a* vel *ab* postulant, ea fere sunt: *petendi*, *adferendi*, *removendi*, *abstinendi*, *accipiendi*, aut *distandi.*

Talia verba *a) petendi* sunt: peto, posco, reposco, rogo, flagito, efflagito, contendo, exigo, etc. E. g. *flagitat abs te* filium. Cic. Quo facilius id a te exigam, quod peto, nihil tibi *a me postulanti* recusabo. Idem. Quid acta vita, quid studia tua *a te exigant*, vide. Idem.

b) Auferendi: aufero, abduco, abstraho, abripio, eripio, surripio, furor, etc. E. g. Si ego tuum ante legissem, *furatum* me *abs te* esse diceres. Cic.

Nota. Quaedam huius ordinis modo Dativum, modo Ablativum cum praepositione habent praeter Accusativum, ut: surripio, eripio, aufero, furor, etc. Id tu *mihi eripuisti*, atque *abstulisti.* Cic.

c) Abstinendi: abstineo, contineo, abhorreo, cohibeo, tempero, etc. E g Mare rubrum colore non *abhorret a ceteris. Curt.* Docemur coercere omnes cupiditates, nostra tueri, *ab alienis* mentes, oculos, manus abstinere. Cic de Orat.

Nota. Dicitur etiam *abstinere cibo*, vel *a cibo*, vel *se a cibo*, sic: *Abstinere iniuriis*, *insectatione*, *sce-*

lere. E. g. Ego optimum et emendatissimum existimo, qui ceteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet; ita *peccati abstinet*, tanquam nemini ignoscat. Plin. Ep. 8. 22.

d) Accipiendi, ut accipio, audio, habeo, haurio, et quaevis verba intelligendi, et sentiendi, etc. E. g. *Abs quovis homine*, quum est opus, beneficium *accipere* guadeas. Terent.

Nota 1) *Cognoscendi* verba, ut: cognosco, agnosco, audio, intelligo, coniicio, disco, praepositionem *ex* recipiunt, e. g. Ea certissima putabo, quae ex *te cognovero*. Cic. Saepe *ex Socero* meo audivi. Idem. *Intelliges ex literis* Balbi. Idem.

Nota 2) Horum normam imitantur alia: e. g. *Quaero* illud etiam *ex te*, Cic. Percunctor, scitor, sciscitor *a te*, vel *ex te*, e. g. Epicuri *ex Velleio sciscitabor* sententiam. Cic. Poma *ex arboribus*, si cruda sunt, vi *avelluntur*; si matura, et cocta, decidunt. Idem. Aqua *e puteo hausta*. Idem. Praecipue vero, quae e praepositione *ex* componuntur, ut: expello, eiicio, etc. e. g. *Ex urbe expelli*, *exterminari*, *eiici*. Cic. pro Mil. ut infra videbitur. N. VI.

Nota 3) Quaedam praepositionem *de* etiam admittunt, e. g. *Audivi* hoc *de parente meo puer*. Cic. Bona huius *de L. Sylla se emisse* dicit. Idem. Ut sibi liceret *discere id de me*. Ter. *Quaesivi de Zenone*. Cic. Tu quidem *de faece hauris*. Idem.

e) Distandi, ut: absum, differo, discrepo, dissono, discordo, disto, etc. E. g. Quum *abessem ab Amano* iter unius diei. Cic. Hominum vita multum *distat* a *victu, et cultu bestiarum*. *Cic*. Etiam sine praepositione, e. g. Midae regia, cui Gordium nomen est, pari intervallo *Pontico*, *et Cilicio mari distat*. *Cur*.

VI. Verba composita cum praepositionibus Ablativum regentibus *a* (ab, abs), *de*, *ex*, (e.) *super*, Ablativum penes se habent sine vel cum praepositionibus repetitis. E. g.

Cum *a* vel *ab*) Augures poterant decernere, ut *Magistratu se abdicarent* Consules. Cic. Teneros

animos aliena opprobria saepe *absterrent vitiis*, Hor. Sat. I.

Cum *de)* Fustuarium meretur miles, qui signa relinquit, aut *praesidio decedit.* Liv. Timoleon incredibili felicitate Dionysium *tota Sicilia depulit.* N. P.

Cum *ex)* Vivit animus. Quod multo magis faciet post mortem, cum omnino *corpore excesserit.* Cic. Miserum est, *exturbari fortunis omnibus. Cic.*

Cum *super)* Caesar *praelio supersedere* statuit. Caes.

Nota 1) Quaedam ex praepositionibus his composita verba repetunt saepius praepositionem ante nomen, aut eam cum alia commutant. E. g. Est non modo liberale, paullum nonnunquam *de suo iure decedere*, sed interdum etiam fructuosum. Cic. Scipionis consilio atque virtute Annibal in Africam redire, atque *ex Italia decedere* coactus est. Cic.

Nota 2) Verba egredi, excedere, exire, quando in vernaculo fere idem significant, *általlépni*, *általhágni; über etwas hinausgehen*, *überschreiten; slussnu miru prekrocsujem*, plerumque Accusativo iunguntur *) E. g. Historia non debet *egredi veritatem.* Plin. Navigia, quae *modum excedunt*, regi nequeunt. Curt. Tiberis *alveum excessit.* Plin,

*) Putant nonnulli praepositionem *extra* intelligi, quae nonnunquam aperte posita occurrit, ut: Certos mihi fines, terminosque constituam, *extra quos egredi* non possim, si maxime velim. Cic. Annibal tantum terrorem iniecit exercitui Romanorum, ut *egredi extra vallum* nemo sit ausus. Nep.

VII. Verba *emendi, vendendi, conducendi* (bérleni, fogadni, miethen, nagímat) *locandi* (bérbe adni, ausleihen, na uzsitek nekomu néčo dáwat) petunt Ablativum pretii.

Talia sunt, coemo, redimo, mercor, comparo, vendo, veneo, sto, consto, valeo, liceo, liceor, loco, conduco, aestimo, et plura alia, quibus Ablativus pretii recte adcommodari potest, e. g. Spem *pretio* non *emo.* Terent. Lycurgus omnia *emi* non *pecunia*, sed *compensatione* mercium iussit. Iust. Augustus notavit

aliquos equites, quod pecunias levioribus usuris mutuati, *graviore foenore collocassent.* Svet. *Multo sanguine* Poenis victoria *stetit.* Liv. Vix *drachmis obsonatus est* decem. Terent.

Nota. Ablativus *pretii* plerumque omittitur, et ponitur solum adiectivum conveniens, e. g. *Magno, parvo, plurimo, tanto, quanto, minimo, nimio,* ut: Venditori expedit, rem *venire quam plurimo.* Cic. Coelius *conduxit* in Palatio, non *magno,* domum. Cic. Non *nimio emtae* tibi videntur aedes istae? Plaut. Non potest *parvo* res magna *constare.* Sen. Non fames nobis ventris nostri magno *constat,* sed ambitio. Idem. Usitatior tamen est *Genitivus, magni, parvi,* etc. ut supra in Syntaxi verborum de Genitivo, pag. 97. *Nota* I. dictum est.

— — Plura ex usu, et lectione, e. g. *Tenere legibus, poena, foedere, iureiurando, florere divitiis, existimatione, dignitate, gratia, laudibus, fama, nominis celebritate, studiis, et artibus.* E. g. Cur mihi non in optatis sit complecti hominem *florentem aetate, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, adfinibus, amicis, etc. ponderare, metiri* aliquid aliqua re, e. g. consilia *eventis ponderare.* Cic. Delectus verborum aurium *quodam iudicio ponderandus,* de Orat. Magnos homines *virtute metimur* non *fortuna.* Nep. Sic etiam dicitur; *iudicare aliqua re* e. g. Omnia maiorum *institutis iudicari.* Nep. Talia sunt: puncto saepe temporis maximarum rerum momenta *vertuntur.* Liv. Causa certis personis, locis cernitur. Cic. (vid. Synt. Nomin. §. IV. pag. 72.) Alias etiam dicitur: *in eo vertitur spes* civitatis, totum *vertitur in voluntate* Philippi. Liv. et plura his similia.

E) Syntaxis Verborum cum Nominibus Temporum et locorum*)

*) Convenit circumstantiis temporis, et loci praecipue Ablativus: ideo Syntaxis verborum cum eiusmodi nominibus hoc loco solet tradi, tametsi eadem illa etiam aliis casibus interdum secundum diversitatem significandi usurpantur, ut sequentes ostendunt regulae.

Quid observandum de Syntaxi Verborum cum Nominibus distantiae, et temporis?

I. Cuivis verbo apponi potest *Accusativus*, qui *distantiam loci*, vel extensionem significat: ut cum quaeritur, quam procul absit, vel quam late pateat. E. g. *Aberat* regio quindecim *stadia*. Curt. In omni vita sua quemquam a recta conscientia *transversum unguem* non oportet *discedere*. Cic. Dic: quibus in terris (et eris mihi magnus Apollo) *tres pateat* coeli spatium, non amplius, *ulnas*? Virg. Eccl. 3.

Nota 1) Interdum Ablativo utuntur Scriptores, Accusativus tamen usitatior est, e. g. Nec *longis* inter se *passibus* absunt. Virg.

Nota 2) In Accusativo intelligi videtur *ad*, *per*, aut *circa*; in Ablativo autem *a* vel *ab*.

II. Tempus *Accusativo*, vel *Ablativo* casu effertur, si per *quamdiu* fiat interrogatio. Frequentior est Accusativus. E. g. Semiramis *duos et quadraginta annos* post Ninum regno potita est. Iustin. *Noctes* atque *dies* patet atri ianua Ditis. Virg. Una cum gente tot *annos* bella gero. Idem. Rarior Ablativus, e. g. *Tota vita* discendum est mori. Sen. Vixit *annis viginti novem*, imperavit *triennio*, et decem mensibus, diebus octo. Svet. Calig. c. 59.

Nota. Accusativo interdum accedit praepositio *per*, *ad*, *in*, vel *intra*, ut: At pius Aenaeas *per noctem* plurima volvens. Virg. Quae nostra *per tot annos* vidit aetas. Liv. Sero resistemus ei, quem *per annos decem* aluimus contra nos. Cic. Vigilare *ad multam noctem*. Cic. Praesidia sunt *in multos annos* provisa. Cic. Invicti Germani *intra annos quatuordecim* tectum non subierunt. Caes. Huc pertinet illud: *in diem vivere*. Cic. 3. Tusc. pro non cogitare de crastino.

III. *Interrogatio* per *quando* requirit nomen temporis in Ablativo casu. E. g. *Superioribus diebus* veni in Cumanum. Cic. *Hieme* omnia bella iure gentium conquiescunt. Cic. *Festo die* si quid prodegeris, *profecto* agere liceat, nisi peperceris. Plaut. *Multa nocte* se in castra recepit. Caes. *Tertia vigilia* eruptionem fecerunt.

Caes. Venit *tertio* Calendas, vel Calendarum. *Die epulari.* etc.

Nota 1) Interdum Ablativo additur praepositio conveniens. E. g.

Ad. Veni Brundusium *ad septimum* Idus Martii. Cic.

Ante. Ante diem octavum Idus. Idem.

Per. Alexander *per dies quinque* traiecit exercitum. Curt. Duo fuerunt *per idem tempus* dissimiles inter se. Cic. *pro* eo tempore.

In. In dies singulos crescit hostium numerus. Cic.

Sub. Sub idem tempus statuit Senatus Carthaginem exscindere. Vellei. *Sub lucem* exportant Calathis. Virg.

De. Ut iugulent homines, surgunt *de nocte* latrones. Hor.

Nota 2) *Abhinc* verbis praeteriti temporis *) iungitur elliptice cum Accusativo, vel Ablativo. E. g. cum *Accusat.* Interea mulier quaedam *abhinc* (ante) *triennium* commigravit huc vicinae. Ter. Horum pater *abhinc* (ante) *duos et viginti annos* est mortuus. Cic. Etenim si Pompeius *abhinc* (ante) *annos quingentos fuisset* Cic. Cum *Ablativo.* Comitiis *abhinc triginta diebus* habitis. Cic. Quo tempore *abhinc annis quindecim.* Cic. pro Quint.

*) Quum tempus futurum significatur, non usurpandum est *abhinc*, sed *ad*, vel *post*, e. g. Ego doleam, si *ad decem millia* annorum gentem aliquam urbe nostra potituram putem. Cic. Tusc. *Ad Graecas Calendas. Post diem quartum.* Cic.

Quae regulae de Syntaxi Verborum cum Nominibus locorum?

I. Propria pagorum, castellorum, urbium primae, vel secundae declinationis ponuntur in *Genitivo* post quodvis verbum, si interrogatio fiat per adverbium *ubi?* Si propria tamen fuerint tertiae declinationis, vel pluralis numeri, *Ablativo* utendum est, e. g. Ut *Romae* consules, ic *Carthagine* quotannis annui bini reges creabantur. Nep. Talis *Romae* Fabricius, qualis Aristides *Athenis* fuit. Cic. Cur iam oracula *Delphis* non eduntur? Cic. *Lacedaemone* fuit honestissimum domicilium senectutis. Cic. Natus est *Antiochiae loco nobili, et celebri* quondam urbe. Cic.

Nota 1) Propriorum legem sequuntur appellativa quatuor: *humi*, *belli*, *militiae*, *domi*, quorum postremo adiungi possunt adiectiva: *meae*, *tuae*, *suae*, *nostrae*, *vestrae*, *alienae*, e. g. Theodori quidam nihil interest, *humi ne*, an sublime putrescat. Cic. Quibuscunque rebus vel *belli*, vel *domi* poterunt, rempublicam augeant. Cic. Nonne melius sine periculo *domi tuae* esse, quam cum periculo *alienae?* Cic. Salubriora credebant, *militiae*, quam *domi* iuvenum corpora esse. Liv.

Nota 2) Genitivus *domi* illa sex tantum adiectiva admittit, *meae*, *tuae*, etc. nam cum aliis in Ablativo cum praepositione *in* ponitur, e. g. Sustinet *in vidua* tristia signa *domo*. Ovid. Quod idem fit interdum cum illis pronominibus. E. g. Ille *in domo mea* saepe convaluit. Plin. Cum substantivis autem utroque modo copulatur. E. g. Clodius deprehensus *domi Caesaris*. Cic. ad Att. Et ad eundem. L. 2. ep. 7. Cum *in domo Caesaris* quondam unus vir fuerit.

Nata 3) *Militiae* ad interrogationem *ubi* non facile sine Genitivo *domi* reperitur, e. g. Livius, quae a Romanis domi militiaeque gesta sunt, exposuit. Liv. A Romanis nihil publice sine auspiciis nec *domi*, nec *militiae* gerebatur. Cic. Sallustius tamen Iug. 84. habet: *militiae* sine *domi*. Plerosque *militiae*, paucos fama cognitos.

Nota 4) *Vicinae* etiam pro *in vicinia* saepius occurrit. E. g. *Proximae vicinae* habitat. Plaut. Commigravit huc *vicinae*. Terent.

II. Si per adverbium *quo* fiat interrogatio, propria pagorum, castellorum, oppidorum, urbium, accusativo sine praepositione efferuntur, cuiuscunque sint declinationis, ac numeri: quibus adduntur *rus et domus* E. g. Curius primus *Romam* elephantos quatuor duxit. Eutr. Plato *Tarentum venit*, et Locros. Cic. Legati *Athenas* missi sunt, iussique inclitas leges Solonis describere. Cic. Etiam in plurali: e. g. Quo ruitis? *vestras* quisque redite *domos*. Ovid. Galli *domos* abierunt. Liv. Ego *rus* ibo. Terent. *Rus urbanum* contendit. Iust.

Laelius et Scipio *rus* ex urbe, tamquam e vinculis, evolabant. Cic.

Nota 1) *Domus* nonnunquam etiam praepositionem admittit. E. g. Ego *in domum vestram* intrabo. Sen. Socrates primus Philosophiam *in domos* etiam introduxit. Cicero.

Nota 2) *Rura* in plurali cum praepositione Livius adhibet, ut: Iam ubi vos dilapsi *domos*, et *in rura* vestra eritis, etc.

III. Si per *unde*, vel *qua*, fiat interrogatio, hoc est: si *motus de loco*, aut *per locum* significetur, in propriis pagorum, castellorum, oppidorum, seu urbium Ablativo utendum est sine praepositione, quibus adiungenda haec duo: *domus et rus*; nonnunquam et *humus*, e. g. Lacedaemonii de rebus maioribus *Delphis* oraculum petebant. Cic. Dion obsecrabat Dionysium, ut Platonem *Athenis* arcesseret. Nep. Iter *Laodicea* faciebam, cum has literas dabam in castra. Cic. Video *rure* redeuntem senem. Ter. Cum Tullius *rure* redierit, mittam eum ad te. Cic. Socrates eundem vultum *domum* referebat, quem *domo* extulerat. Sen. ita. Vix oculos attollit *humo*. Ovid. Surgit *humo* pigre. Idem. Fundit *humo* facilem victum iustissima tellus. Virg.

IV. Nomina insularum, regionum, provinciarum, ceterorum denique locorum ad memoratas quaestiones *ubi*, *quo*, *unde*, praepositionem fere, sicut appellativa desiderant. E. g. *Ex Sicilia in Africam* gradus imperii factus est Romanis, Cic. Promitto tibi, si valebit, tegulam illum nullam *in Italia* relicturum. Cic. ad Att. Annibal *in Italia* erat victor *ad Cannas*, Liv. i. e. prope Cannas. Dum ipse terrestri *per Hispaniam*, Galliasque itinere Italiam peteret.

Nota 1) Propriis regionum, et insularum interdum demitur praepositio, praecipue a Poëtis, et Historicis. E. g. Ibitis *Italiam*, portusque intrare licebit. Virg. Conon plurimum *Cypri* vixit. Iphicrates in Thracia, Timotheus *Lesbi*. Nep. Aeschines cessit Athenis, et se *Rhodum* contulit. Cic. Aristidis arbitrio quadringenta et sexaginta talenta quotannis *Delum* sunt collata. Nep. Lycurgus

Cretam profectus est, ibique perpetuum exilium egit. Iustin*).

*) Nomina imprimis insularum non raro sic constructa reperiuntur.

Nota 2) Propria urbium, seu oppidorum saepe praepositionem recipiunt, praesertim *a*) si *motus de loco* significetur, e. g. *A Brundusio* nulla adhuc fama venerat. Cic. *A Roma* legatos venisse nunciatum est. Liv. *A Roma* abesse. Sallust. Vir bonus *ab Alexandria* profectus. Cic. Legati Romani *a Carthagine* in Hispaniam traiecerunt. Liv. Fabius Pictor legatus *a Delphis* Romam rediit. Liv. *Ab Athenis* proficisci in animo habebam. Cic. *b*) *Locis* imprimis *viciniam* significantibus saepe praemittitur *ad*, ut: venit *ad Messanam*. Cic. Adolescentulus miles profectus sum *ad Capuam*. Idem de Sen. Caesar *ad Genevam* venit. Caes. Neque solum adhibetur praepositio *ad*, cum propinquitas adsignificatur; alioqui non dixisset Cicero pro Planco *ad Brundusium veni*, vel potius ad moenia; satis enim fuisset *ad Brundusium* veni. Tirones tamen Grammaticorum leges sequantur. *c*) Praesertim quando *adiectiva*, aut alia *appellativa* accedunt, ut: Magnum iter *ad doctas* proficisci cogor *Athenas*. Propert. *Ad Cirrham oppidum* iter constituit. Sallust. Tametsi Ovidius etiam absque praepositione dixit: atque aliquis *doctus* iam nunc eat, inquit, *Athenas*. *d*) Interdum additur etiam adverbium *usque*, ut: *Usque ad Numantiam* misit. Cic. pro Deiot. *Usque ad Iconium* iter fecerim. Cic. ad App. Dimissis passim ad frumentum coëmendum *usque ad Cumas*. Liv.

Nota 3) Si nominibus *urbium postponitur* nomen appellativum *urbs* vel *oppidum*, hoc ad quaestionem *ubi?* in Ablativo ponitur, licet nomen proprium urbis sit in Genitivo. E. g. Archias Poëta *Antiochiae* natus est, *celebri* quondam *urbe* et *copiosa*. Cic. Pompeius, hic mare *Dyrrhachii*, *Apolloniae*, *omnibusque oppidis maritimis* constituerat. Caes. Nonnunquam etiam praepositio interponitur, e. g. *Neapoli in celeberrimo oppido*. Cic. *Albae in urbe opportuna*. Idem. Plinius L. II. Ablativo utitur praepositione praeposita: *in Naea* oppido Troadis. *In civitate Parasmo*, terra est, qua sanantur omnia vulnera. Plin. Eadem natura in Hispalis oppido, uni puteo. Idem. Si autem no-

men appellativum *urbs* vel *oppidum* anteponitur, nomen proprium urbis in *Ablativo* vel in *Genitivo* ponitur. E. g. Cimon *in oppido Citio* est mortuus. Nep. Cassius est *in oppido Antiochiae* cum omni exercitu. Cic. ad Att. Accedit, ut una nocte omnes Hermae, qui in *oppido erant Athenis*, deiicerentur. Nep.

Nota 4) Cetera nomina propria regionum aut viarum, item quaedam appellativa Ablativo sine praepositione eleganter efferuntur; quae alioquin Accusativo cum praepositione *per* efferenda essent; e. g. Ita se gerant in istis Asiaticis itineribus, ut si iter *Appia via* faceres. Cicero. Multae mihi a C. Verre insidiae *terra marique* factae sunt. Idem. *Toto foro* volitare. Idem. Iter a Vibone Brundusium *terra* petere contendi. Idem. Imprimis autem *vagandi* verbum hanc sibi elegantiam vindicat; e. g. Et nunc *tota Asia vagatur*, volitat, ut Rex. Cic. ad Att. Spero iam tuto vel solum *tota urbe vagari* posse. Idem. *Vagantur* laete atque erecti passim toto foro. Idem. Manat tota *urbe* rumor. Liv. Sic tota passim *regione vagantur*. Virg. Huc fere referri potest illud. Virg. 2. Georg. *Fluminibus* salices, *paludibus* alni, nascuntur steriles *saxosis montibus* orni; et plura his similia.

§. III.

De Syntaxi Verborum Infinitivorum, et quidem:

A.) De Constructione ipsorum Infinitivorum.

Quae regulae de constructione infinitivorum generatim et speciatim observandae?

I. *Infinitivus* nonnunquam subiecti et ideo Nominativi locum tenet; qui deinde pro neutro habetur. Quare adiectivum, quod est in praedicato, in genere neutro ponitur; e. g. Parentes suos non *amare*, impietas est; non *cognoscere*, insania. Sen. *Diligere* parentes prima naturae lex est. Valer. Max. Turpe est aliud *loqui*, aliud *sentire*. Sen. Virum bonum esse, semper est utile. Cic. Dulce et decorum est pro patria

mori. Horat. Bellum est sua vitia *nosse.* Cic. Ingenuas *didicisse* fideliter artes, emollit mores. Ovid.

Nota. Si penes has voculas: *nihil est aliud*, et *quid est aliud*, bini occurrant infinitivi, penes illud prior, penes istud posterior infinitivus est subiectum constructionis; e. g. Profecto *nihil est aliud*, bene et beate *vivere*, nisi honeste et recte *vivere.* Cic. Ordo constructionis est: *Bene et beate vivere profecto nihil aliud est etc. Quid est aliud*, gigantum more *bellare* cum Diis, *nisi* naturae *repugnare. Cic.*

II. Quandocunque duo verba iunguntur sine coniunctione expressa, aut tacite intellecta, alterum est *infinitivus.* Dixi, *sine coniunctione expressa vel intellecta*, propter huiusmodi elliptica: *fac sciam*, *cave sentiant. Cave*, *existimes*, me abiecisse curam reipublicae. Cicero pro noli existimare etc. Eiusmodi verba, quibus infinita adduntur, sunt:

Soleo, *incipio*, *debeo*, *coepi*, *desino*, *possum*, *queo*, *nequeo: e.g.* Qui *mentiri solet*, *peierare consuevit. Cic.* Huic *incipio* sententiae *diffidere.* Cic. Mors propter brevitatem vitae nunquam longe *potest abesse.* Idem. *Intueri* solem adversum *nequimus.* Idem. *Solent* diu *cogitare* omnes, qui magna negotia *volunt agere.* Id. Nulla lassitudo *impedire* officium, et fidem *debet.* Id. Venae et arteriae *micare* non *desinunt.* Idem Si latro rursus in Italiam se *recipere coeperit*, Bruti erit officium, ei occurrere. Cic.

Nota 1. *Solet*, *incipit*, *debet*, *coepit*, *desinit*, *potest*, quando infinitis verborum impersonalium adiunguntur, Nominativum celant, eorumque naturam induunt et constructionem sequuntur; e. g. Cuius auctoritatis neminem *posset poenitere.* Cic. Non *potest* iucunde *vivi*, nisi cum virtute vivatur. Idem. *Solet* eum, cum aliquid fuirose facit, *poenitere.* Cicero. Pugnatum est, ut a viris fortibus *pugnari debuit.* Caes. *Pigere* eum facti *coepit.* Justin. Si te *pudere desierit.* Sen.

2. Sex eadem verba: *soleo*, *incipio*, *debeo*, *coepi*, *desino*, *possum* (quibus alia duo quidam addunt, *queo* et *nequeo*), si cum infinitis verborum personalium copulentur, personalia sunt ipsa quoque, casusque proprios etiam re-

ctos postulant: e. gr. Cum essemus eiusmodi, quod vel pueri *sentire poteramus* etc. Cic. *Possum nominare* ex agro vicino rusticos Sabinos. Idem. *Solet esse* gravis cantantibus umbra. Virg. Cum pontem Legati Allobrogum *ingredi inciperent*. Cic. *Debebunt* Pompeium *hortari*, ut sit amicus. Cic. *Coepere* se quisque magis extollere. Sallust. Desine Deos, uxor gratulando, obtundere. Terentius. Quae verba propterea *famularia* a Grammaticis dicuntur, sive *servilia*, quod verbis personalibus impersonaliter, personalibus personaliter adhaereant et quasi famulentur.

3. Verbum *incipio* etiam transitivum sine infinitivo reperitur; e. g. Neque, quod principium *incipiam* ad placandum, scio. Terent. Armatos, cum a neutris praelium *incipitur*, nox oppressit. Liv. Absolute etiam usurpantur; e. g. Vix prima *inceperat* aetas. Virg. Optime institutum est, ut ab Homero atque Virgilio lectio *inciperet*. Quint. Optime *incipitur* a longis. Idem.

4. *Coepi* et *desino* cum infinitivis passivis, modo activa, modo passiva voce in praeteritis usurpantur, e. g. Plebi iniuriae a primoribus *fieri coepere*. Plin. *Contemni coepti erunt* a finitimis populis. Livius. Veteres orationes post nostras a plerisque *legi sunt desitae*. Cic. *Desitum est videri* quidquam in socium iniquum. Cic de Offic.

5. *Coepi* saepe, praesertim apud Historicos, dum aliquid cum affectu narrant, omittitur: e. g. Caesar *siccare* Pontinas plaudes, *emittere* Fucinum lacum, viam *munire*, a mari supero per Appennini dorsum ad Tiberim usque *perfodere* Isthmum. — Talia agentem mors praevenit. Svet. in Caes. Senatus Diis *agere* gratias, quod Camillus in Magistratu esset. Liv.

6. *Debeo* cum infinitivo nunquam passiva voce usurpatur. Neque enim dices: Hoc *debetur* facere vel fieri; sed hoc *debet*, aut oportet fieri, vel potius faciendum est.

7. Verba *possum*, *queo*, *nequeo*, passiva voce in tertiis personis, *potestur*, *quitur*, *nequitur*, tamquam obsoleta, vitanda iam sunt. Vide Instit. Grammat. Part. I. pag. 124.

III. Infinito etiam iunguntur verba.

a) Quibus voluntatis prosecutio significatur, ut: *volo, malo, cupio, aveo, appeto, expeto, exopto, gestio, affecto, audeo;* aut contra voluntatis fuga, ut: *nolo, recuso, respuo, fastidio, horreo, erubesco, verecundor; e. g. Verecundatur* in publicum prodire. Cic. Graeciae civitates, dum *imperare* singulae *cupiunt*; imperium omnes perdiderunt. Justin. Qui e nuce nucleum *esse vult*, frangit nucem. Plaut.

b) Verba incipiendi, ut: *incipio, adgredior, ordior, exordior, adorior, ingredior. instituo* pro incipio. E. g. *Sic orsa loqui* vates. Virg. Quaeso, ut me iudices, sicut *facere instituistis*, benigne attenteque audiatis. Cic.

c) Perseverandi, ut: *persevero, persto, persisto, pergo*, i. e. persevero, *consuesco*. Aut contra desinendi, ut: *desino, absisto, mitto, omitto, cesso*, pro desino; e. g. *Persto condere* semen humo. Ovid. *Perge* porro *sequi*. Cic. *Mitte* male *loqui*. Terent. Non *cessant* de nobis *detrahere*. Cic.

d) Verba conandi, ut: *conor, nitor, laboro, molior, studeo, contendo*, et his similia, ut: *cogito, meditor, disco, doceo, scio*; alia etiam, ut festinandi aut morandi, ut: *propero, maturo, moror, supersedeo* etc. aut denique, quae animi decretum significant, ut: *statuo, decerno* etc., e. g. Nunquam me *labefactare*, atque *infirmare conabitur*. Cic. Mundum *efficere moliens* Deus. Idem. *Scire; audire* studeo. Idem. A Graecis Galli urbes moenibus *cingere didicerunt*. Justin. *Ferre* laborem consuetudo *docet*. Cic. Non omnes *sciunt referre* beneficium. Sen. Oro, ut *matures venire*. Cicero. *Properavi abire*. Plaut. *Moratus inferre* bellum. Cic. Haec ergo *scribere* publice supersedi, i. e. nolui. Plin. Mihi *decretum* est *bibere*. Plaut. *Decreveram* cum eo *vivere*. Cic.

Nota 1. Verborum naturam sequuntur nomina similis significationis, nam, ut dicitur: *cupio discere*, ita et *cupidus discere*, ut: *nescit inescare*, ita et *nescius inescare*, praesertim apud Poëtas. Imo et similiter adiectivum praeponitur infinitivo passivo, ut *dignus amari*, *apta regi;* sed passivus hic infinitivus redolet naturam Dativi vel Ablativi, quasi foret *apta rectioni*, *dignus amore;* activus vero naturam habet Genitivi, quasi dicas: *cupidus disciplinae* vel *discendi*.

2. Dupplex hic nonnunquam occurrit ellipsis; interdum enim praeteritur verbum regens infinitivum, interdum infinitivus, qui regitur, verbum regens, ut: *Mene incepto desistere victum?* scilicet *decet*. Infinitivus, ut: *scit latine*, nempe *loqui; scit fidibus*, puta *canere*.

3. Reperiuntur quandoque plures infinitivi iuncti; e. g. Rem familiarem *dilabi sinere* flagitiosum est. Cic.

IV. Post certa verba finita sequitur fere infinitivus habens ante se subiecti Accusativum, qui resolvitur per Nominativum et coniunctionem *quod*.

1.) Verba eiusmodi sunt *sensuum* tam *externorum*, quam *internorum*. Verba sensuum *externorum* sunt: *video*, *tango*, *audio*, *sentio etc.* Verba sensuum *internorum* sunt, quae cogitatum, aut quamcunque animi affectionem indicant, uti: *scio*, *puto*, *cogito*, *memini*, *spero*, *credo*, *opinor etc.* Post verba haec particula: *hogy*, *dass*, *zse*, in sermone latino omittitur, et Nominativus subiecti mutatur in Accusativum, verbum vero in infinitivum eiusdem temporis, e. g. *Videmus noxias plantas* a salutaribus numero longe *superari* pro: *quod noxiae plantae superentur.* Tactu *cognoscimus glaciem esse gelidam*, *lapides duros*, loco: *quod* glacies *sit gelida*, *lapides duri*. *Audimus Calabriam* terrae motu saepe *esse concussam*. *Scimus* glacie, et nive *altissimos montes* semper *tegi*. Errant, qui *animam* cum corpore *interire credunt*. Male vivunt, qui *se* semper *victuros opinantur*. *Speramus*, *nos* post mor-

tem in coelum *receptum iri*, pro quod *recipiemur*.

2) Post verba quae aliquid *indicant*, *declarant*, *adfirmant*, aut *negant*, uti sunt: *indico*, *doceo*, *arguo*, *adfirmo*, *nego*, *certum est*, *manifestum est*, *verum est*, *patet*, *liquet*, *constat*, non me *praeterit*, *latet*, *fugit*, etc. e. g. Solis, lunae, siderumque omnium adspectus satis *indicat*, non *esse ea fortuita*. Cic. loco: *quod non sint ea fortuita*. Democritus *dicit*, *innumerabiles esse mundos*. Cic. *Habitari ait* Xenophones in luna, *eamque esse terram* multarum urbium, et montium. Idem. *Orpheum Poëtam docet* Aristoteles nunquam *fuisse*. Cic. *Certum est amicitiam*, nisi inter bonos, esse non posse. Cic. Cum de malo principe posteri tacent, *manifestum est*, eadem *facere praesentem*. Plin. Paneg. Ut *perspicuum est*, natura *nos* a dolore *abhorrere*; sic *apparet*, a natura ipsa, ut eos, quos genueramus, amemus, impelli, Cicero. *Constat*, profecto, ad salutem civium, civitatumque incolumitatem, vitamqne hominum quietam, et beatam *inventas esse leges*. *Cic.* *Credibile est*, hominum causa *factum esse mundum*, quaeque in eo sunt, omnia. Cic.

Nota 1) Post memorata N. I. et 2. verba finita, particula *quod* interdum retinetur. E. g. Equidem *scio* iam, *quod* filius amet meus. Plaut. Cum *scripsissset quod me* ad urbem cuperet videre. Cic. L. 10. ad Att. ep. 4. *Quod* duo fulmina domum meam per hos dies perculerint, non *ignorare* vos Quirites, arbitror. Liv. Sed haec rara sunt, nec pueriliter passim, ac temere imitanda; monendique hac occasione tirones non elegantiae, ornamentique causa, quod vulgo putatur, post memorata verba mittendam esse particulam *quod*, verum sic exigente natura, et proprietate linguae Romanae. Vid. Sanctii Minerv. p. 110.

Nota 2) Loco futuri in infinitivo saepe ponitur, *fore*, ut cum coniunctivo: quod praecipue fit, si verbum supino careat, e. g. *Speramus bonam causam*, tandem *triumphaturam*; vel speramus *fore*, ut bona causa tan-

dem *triumphet*. *Persuasum est fore* aliquando, *ut* omnis hic mundus ardore deflagret. Cic. pro: *mundum esse deflagraturum*. Illud tibi *affirmo*, si rem ex sententia gesseris, *fore*, ut ab omnibus *collaudere*. Cic. loco: *te collaudatum iri*. Ego fide mea, *spondeo futurum*, ut omnia longe ampliora, quam a me praedicantur, *invenias*. Plin. *Exaudita* vox est, *futurum esse*, ut Roma *caperetur*. Ego non *despero fore aliquem* aliquando, *qui existat* talis orator, qualem quaerimus. Cic.

Nota 3) Tempus est quoddam ex praeterito, et futuro mistum, in infinito modo valde usitatum; cum de re iam praeterita ita loquimur, ut erat futura; si aliquid, quod fuit, non fuisset, et contra. E. g. *Puto* etiamsi Icadius tum in spelunca non fuisset, saxum tamen illud *casurum fuisse*, Cic. de fato. Sic *statue*, me eadem *censurum fuisse*, si mihi omnia integra fuissent. Idem. Eum magis communem censemus in victoria *futurum fuisse*, quam incertis in rebus fuissent. Idem.

Quodsi verba supinis careant, circuitione, ut superius dictum, utendum est, e. g. *Futurum fuisse arbitror ut edisceres* orationem, si voluisses. Qua etiam eleganter uti possumus, si passive efferendum sit. E. g. Nisi nuncii de Caesaris victoria essent allati, *existimabant* plerique, *futurum fuisse*, ut oppidum amitteretur.

Nota 4) Futurum infiniti activi in *rum* fixo utebantur antiqui, nulla numeri, aut generum variatione, non secus ac futuro *fore*. E. g. Aruspices *dixerunt*, *omnia* ex sententia *processurum*, loco: *processura*. *Credo*, *inimicos meos hoc dicturum*, *pro dicturos*. Quos etiam Cic. in Ver. Act. 6. l. 5. videtur fuisse imitatus: *Hanc* sibi *rem* praesidio *sperant futurum*. Vid. Gell. lib. I. cap. 7. Invariatum etiam erat infinitum in *assere*, ut: *expugnassere*, *impetrassere*, hoc est: *expugnaturum* vel *impetraturum esse*. E. g. De summa vi eorum oppidum *expugnassere*. Plaut. Hercle, credo, te facile *impetrassere*. Idem. Sed haec exoleverunt.

Nota 5) Amphibologia, in omissione particulae *quod* Accusativi geminatione facta, solvitur Ablativo, ut illud: *Lachetem audivi percussisse Demeam*, fiat: A Lachete percussum Demeam. Quint. *Video patrem Philippum ab Alexandro superatum esse*. Curtius *narrat*, *Darium ab*

Alexandro ad lusum *devictum fuisse.* Nunquam *auditum est*, *crocodilum*, aut *felem ab Aegyptio violatum esse.* Cic. Idcirco ambiguus est ille versus:

Aio, te Aeacida, *Romanos* vincere *posse.* Item illud Plauti: *Pentheum diripuisse aiunt Bachas.*

3) Post verba *affectuum* ut: *gaudeo*, *doleo*, *miror*, et quae significatum cum his aequalem habent, particulam *quod* poni, vel omitti posse, complura veterum classicorum exempla probant. E. g. *Gaudeo*, *te* mihi *suadere*, quod ego mea sponte feceram. Cic. *Quod* in Marii, doctissimi hominis, familiaritatem *venisti*, valde *gaudeo.* Cic. *Clitum* amicum senem et innoxium a se *occisum* Alexander *dolebat.* Iustin. Cato mirari se aiebat, *quod* non *rideret* haruspex, haruspicem cum vidisset. Cic. Minime *miramur*, te tuis praeclaris operibus laetari. Cic. *Admiratus sum*, *quod* ad me tua manu scripsisses. Non *miror* hominem mercede conductum omnia habere venalia. Curt. Quid *laetaris*, quod ab hominibus iis *laudaris*, quos non potes ipse laudare. Sen.

Nota 1) Istud imprimis fit, quando particula *quod* causam, ac rationem reddit, et cum *quia* commutari potest. E. g *Gaudeo*, *laetor*, *patrem vivere*, *vel quod* pater vivat; *doleo matrem aegrotare*, vel quod aegrotet. *Laetor te felicem esse*, vel etiam *quod*, aut *cum* felix sis.

Nota 2) Particula *quod* non omittitur, quando id, quod praecesserat, fusius declarat, seu causam praecedentis continet, iungiturque indicativo, non coniunctivo, praecedit tum plerumque *hoc*, *illud*, *in eo*, etc. vel tacite intelligitur, e. g. Quanta est benignitas naturae, *quod* tam multa, tam varia, tamque iucunda gignit. Cic. Qui benigniores esse volunt, quam res patitur, primum in eo peccant, *quod* iniuriosi sunt in proximos. Cic. Inter hominem, et belluam hoc maxime interest, *quod* haec ad id solum, quod praesens est, se accomodat: homo autem causas rerum videt, earumque progressus. Cic. Magnum beneficium est naturae, *quod* necesse est mori. Sen.

Coniunctivus vero sequitur, quando particula *quod* opinio, aut cogitatio alterius explicatur, et neque tum omitti potest, e. g. Socrates accusatus, *quod corrumperet* iuventutem, et novas superstitiones *induceret*. Quintil. Plato escam malorum, voluptatem appellat, *quod* ea videlicet homines *capiantur*, ut hamo pisces. Cic. Accusat Timocratem, fratrem suum, Metrodorus, *quod dubitet*, omnia, quae ad beatam vitam pertinent, ventre metiri. Cicero.

V. *Ut*, *quin*, etc. vel aperte ponuntur, aut eorum loco Accusativus cum infinitivo; et quidem particula *ut* ponitur:

1) Post verba *volendi*, *optandi*, *concedendi*, (pro: *megengedni*, *erlauben*, *dopustit*) e. g. Quod *vis alium silere*, vel ut *sileat* alter, primus sile. *Pacem conservari*, vel *ut conservetur*, *optant omnes*. Bonus Magistratus non *patitur* civibus *iniuriam* fieri; vel ut civibus *iniuria fiat*. Illi, qui Graeciae formam rerum publicarum dederunt, *corpora* iuvenum *firmari* labore *voluerunt*. Cic. Omnia benefacta in luce *se collocari volunt*. Cic. Mos est hominum, ut *nolint eundem* pluribus rebus *excellere*. Cic. Ego *me Phidiam esse mallem*, quam vel optimum fabrum lignarium. Cic. Utrum corporis, an tibi *malles vires* ingenii dari. Sen. Traianus dicebat: talem se esse imperatorem privatis, *quales esse* sibi *imperatores* privatus *optasset*. Eutr. Phaëton *optavit*: *ut* in currum patris *tolleretur*. Cic. Maxima fuit aemulatio inter Caesarem, et Antonium, cum *se* uterque *principem* non solum urbis Romanae, sed orbis terrarum *esse cuperet*. Nep. Germani *vinum* ad se omnino *importari non sinunt*. Caes. Alcibiades *Athenas* Lacedaemoni *servire* non poterat *pati*. Nep. Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates augeamus. Cic.

2) Post verba: *aequum est*, *oportet*, *expedit*, *necesse est*, *sequitur*. E. g. *Aequum est imprudentes* prudentibus *obtemperare*, vel ut imprudentes prudentibus *obtemperent*. Omnibus bonis *expedit exerceri leges*, *vel ut exerceantur* leges. Omnibus *vestram misericordiam*, *vestrumque auxilium aequum est patere*. Liv. Tres *covenit* res *habere narrationem*, ut brevis, ut

dilucida, ut verisimilis sit. Cic. Non *est rectum* minori *parere maiorem*. Cic. Praeclarum illud est et rectum, *ut* eos, qui nobis carissimi esse debeant, aeque ac nosmet ipsos *amemus*. Cic. Omnibus bonis *expedit salvam esse rempublicam*. Cic. *Expedit* omnibus, *ut* singulae civitates sua iura, et suas leges habeant. Iust. Cum hoc sit extremum, congruenter naturae, convenienterque vivere, necessario *sequitur*, *omnes sapientes* semper feliciter, forunateque *vivere*. Cic. Si virtutes pares sunt inter se: *sequitur ut* etiam vitia *sint* paria. Cic. Omne corpus mutabile est, ita *efficitur*, ut omne corpus mortale sit. Cic. A Deo *necesse est mundum regi*. Cic. *Legem* brevem *esse oportet*, quo facilius ab imperitis teneatur. Sen.

Nota. Post *necesse est* saepius omittitur *ut*, sed verbum tamen ponitur in coniunctivo, e. g. Si vis bene mori; *bene vivas*, *est necesse*. Virtus voluptatis aditus *intercludat*, *necesse est*. Cic. Virtus *necesse est*, res sibi contrarias *aspernetur*, atque *oderit*. Cic. Qui se metui volent, a quibus metuentur, eosdem *metuant* ipsi, *necesse est*. Cic. (Eodem modo *oportet*, ut inferius de impersonalibus dicetur, construitur.)

3) Ferme respuunt apud Oratores infinitivum, et coniunctivum cum particula *ut* desiderant verba *a)* petendi, ut: *peto*, *posco*, *postulo*, *flagito*, *efflagito*, *exigo*; *b)* instandi, ut: *insto*, *insisto*, *contendo*, *urgeo*, *impello*; *c)* precandi, ut: *precor*, *oro*, *exoro*, *rogo*, *imploro*, *obsecro*, *obtestor*: *d)* impetrandi, ut: *impetro*, *consequor*, *assequor*; *e)* suadendi, ut: *suadeo*, *hortor*, *moneo* cum compositis; et contraria, ut: *dehortor*, etc. *f)* imperandi, ut: *impero*, *mando*, *praecipio*, *negotium do*, *sancio*, *edico*, *etc.* *g)* eventus, ut: *fit*, *accidit*, *contingit*, *evenit*, e. g. *Rogari* non debeo, *ut* faciam, quod mihi non facere turpissimum est. Plin. *Peto* a te, vel si pateris, *oro*, *ut* homines miseros, et fortuna magis, quam culpa calamitosos, conserves incolumes. Cic. *Postulatur* ab omnibus, ut ab iis se abstineant quam maxime vitiis, in quibus alterum reprehenderint. Cic. Discipulos *moneo ut*: praeceptores suos non minus, quam ipsa studia ament, et parentes esse, non quidem corporum sed mentium cre-

dant. Quint. Dum *praecipitur*, *ut* nobismet ipsis imperemus, hoc *praecipitur*, *ut* ratio coerceat temeritatem. Cic. Magnopere te *hortor*, *ut* non solum orationes meas, sed hos etiam de Philosophia libros studiose legas. Cic. Natura *impellit*, *ut* hominum coetus studeat parare ea, quae suppeditent et ad cultum, et ad victum. Cic. Si non ipso honesto *movemur*, ut boni viri simus, sed utilitate aliqua atque fructu, callidi sumus, non boni. Cic. Senatus decemviris *imperavit*, ut libros Sibyllinos inspicerent. Liv. *Fit*, nescio quomodo, *ut* magis in aliis cernamus, quam in nobismetipsis, siquid delinquitur. Cic. *Fieri* potest, ut fallar. Cic. Plerisque *accidit*, *ut* praesidio literarum, diligentiam in perdiscendo, ac memoriam remittant. Caes. Soli hoc *contingit* sapienti, *ut* nihil faciat invitus. Cic. Persaepe *evenit*, *ut* utilitas cum honestate certet. Cic.

Nota 1) Nonnulla e memoratis verbis reperiuntur apud veteres praesertim Poëtas nonnunquam etiam cum Accusativo, e. g. Annibal *imperavit quam plurimas venenatas serpentes vivas colligi*. Nep. Hic iam *Calbaneos suadebo incendere odores*. Virg. Eum celeriter antecellere omnibus ingenii gloria *contigit*. Cic. pro Arch. pro: *ut antecelleret*. *Acciderat*, mihi opus *esse*. Cic. ad Div. VI. pro: *ut opus mihi esset*.

Nota 2) Saepe numero posito verbo post verba mandandi, rogandi, etc. in coniunctivo, deest ut; e. g. Huic *mandat*, Rhemos *adeat*. Caes. *Praecipit*, omnes petant. Idem. *Te rogo*, atque *oro*, tu colligas. Cic.

Nota 3) Bene advertendum, utrum verba *dico*, *scribo*, *respondeo*, *maneo*, etc. puram propositionem, quae quid factum sit, indicet, significant: an vero mandati aut voluntatis ideam exprimant, in priore enim casu sequitur Accucativus cum infinitivo, in posteriore *ut*. Idem notandum de *persuadeo;* si enim significet suadendo adducere, ut quis credat, sequitur Accus. et infin; si vero idem sit, ac svadendo aliquem adducere, ut faciat, sequitur *ut*. E. g. Pherecides Syrius primum *dixit* animos hominum *esse sempiternos*. Cic. *Dicam* tuis, *vt* librum meum describant, ad teque mittant. Cic. Pompeius suis *praedixerat*, ut Cae-

saris impetum exciperent. Caes. Lacedaemonii *scripserunt* Pausaniae, nisi domum reverteretur, se capitis eum *damnaturos.* Nep. Caesar ad Lamiam *scripsit*, *ut* ad ludos omnia pararet. Cic. Iovis Hammonis antistites *responderunt*, *ut* Alexandrum pro Deo, non pro rege colerent. Iust. Hoc tantum *moneo*, hoc tempus si amiseris: *te esse* nullum unquam magis idoneum *reperturum.* Cic. Pompeium *monere* non desistimus, *ut* magnam infamiam fugiat. Idem. Mithridates *persuasit* Datami, *se* infinitum adversus Regem Persarum *suscepisse* bellum. Nep. Themistocles *persuasit* populo, *ut* pecunia publica classis centum navium aedificaretur. Nep.

Nota 4) Post *evenire* sequitur nonnunquam *quod*; estque tum pura subiecti circumscriptio, e. g. Magna me spes tenet, bene mihi *evenire*, quod mittar ad mortem. Cicero.

4) Infinitivus *esse*, aut *fieri*, si verbum *datur*; *licet*, *expedit*, aut simile, sive cum Dativo suo, sive absque eo, antecesserit; vel Dativum post se habebit consuetudine Graeca, vel Accusativum e natura linguae Romanae; Dativum, e. g. *Vobis immunibus* huius *esse* mali *dabitur.* Ovid. *Licuit otioso esse Themistocli.* *Cic. Mihi negligenti esse non licet.* Idem. *Illi convenit esse probo. Tibi, et civi, et duci* evadere contigit. Val. Max. Nec *equis velocibus esse profuit.* Ovid. Sylla, *chlamidato sibi, et crepidato*, Neapoli ambulare, deforme non duxit. Idem. *Vobis necesse-est, fortibus viris esse.* Liv. *Mediocribus esse Poëtis*, non homines, non Dii, non concessere columnae. Horat. Sed quis supplicat, ut optime *meritis* de republica *liceat esse salvis.* Cic. Quid statis? nolint. Atqui (vobis) *licet esse beatis.* Horat. *Animo* iam nunc *otioso esse*, impero. Ter. Acc. e. g. *Expedit vobis esse bonos.* Ter. *Civi Romano licet esse Gaditanum* Cic. pro Balbo. *Liceat esse miseros.* Idem. *Medios esse non licet.* Idem ad Att. Aderat annus, quo *ei consulem fieri liceret.* Caes. Nostrapte culpa facimus; ut *expediat malos esse vobis.* Terent.

Nota 1) Quando verbum infinitivum utrinque casum obtinet, casus, quem post se habet, conveniet cum casu

proximo antecedente. Itaque *esse*, *videri*, *fieri*, *haberi*, similisque significationis infinitivi saepe post se Nominativum habent. e. g. *Cato esse quam videri*, *bonus malebat*. Sal. Idem fit, cum significatur status, aut gestus rei. E. g. *Solet Parmeno incedere rectus*. Accusativus erit, si Accusativus antecesserit. E. g. *Catonem* aiunt *bonum esse*, quam *videri maluisse*. *Parmenonem incedere rectum video*. Ter. Nomin. nimirum erit, si antecedat verbum finitum; Acc. si infinitum. Ita dicimus: *cupio fieri doctus*, quia *doctus* pertinet ad *cupio*, in quo intelligitur *ego*. Dicimus quoque; *cupio fieri doctum*; sed *doctum* refertur ad *fieri*, quod diversam respicit personam, e. g. *filium*.

Nota 2) Si verba: *puto*, *aio*, *refero*, et alia eiusdem significationis, infinitivum praecedant, durior efficitur oratio Nominativo sequente. E. g. Tutumque *putavit* iam *bonus esse socer*. Lucan. pro: tutum putavit, *se bonum esse socerum*. Sic: *Phaselus iste*, quem videtis hospites, *ait fuisse* navium *celleberrimus*. Catul. Sed enim, quia *Aiax*, *esse* Iovis *Pronepos*. Ovid. Met.

5) Post verba *a) dubitandi*, ut: *dubito*, *dubium est*, absque *non* posita, ponitur vel Accusativus cum infinitivo, vel *an* cum coniunctivo. *b)* Post *non dubito* autem, *non est dubium*, *quis dubitat*, etc. ponitur vel *quin* cum coniunctivo, vel sine *quin* Acc. cum infinitivo. E. g. *Deum esse*, qui *dubitet*, haud sane intelligo, cur non idem sol sit, an nullus sit, dubitare possit. Cic. *Non dubitamus*, *quin* Deus *gubernet* omnia, vel *Deum gubernare* omnia. Universum mundum cum cernimus, *non possumus dubitare*, *quin* his *praesit* aliquis effector, et moderator tanti operis. Cic. *Quis dubitabit patere* etiam *Europam* victoribus. Curt. Illud *non dubito*, *debere me* in consilio *ponere*, quod ipse fecissem Plin.

6) Post verba timendi, ut: *timeo*, *metuo*, *vereor*, *paveo*, *periculum*, *metus*, *timor*, *pavor est*, Accus. cum infinitivo rarius occurrit: saepissime vero *ne*, *et ne non*, *seu ut*, *e. g. Acc. cum infin.* Ni cedenti *instaturum* (esse), alterum timuissent. Liv. X. 36. Nec modica *coenare times* olus patella. Hor. Illum aget poena *metuenti solvi* fama superstes. Hor. *Culpari me-*

tuit fides. Idem. Quid trepidas, quid *adire times*? Ovid. Cum *ne* vel *ut*, sed cum discrimine: *vereor ne*, dum minuere velim laborem, augeam. Cic. Metuo, ne id consilii ceperimus, quod non facile explicare possimus. Cic. *Timebam ne* evenirent ea, quae acciderunt. Cic. *Timor* Romae grandis fuit, *ne* iterum Galli Romam redirent. Eutr. *Pavor* ceperat milites, ne mortiferum esset vulnus Scipionis. Liv. Num est *periculum*, *ne* quis putet in magna arte, et gloriosa turpe esse alios id, quod ipsi fuerit honestissimum discere? Cic. Cum *ut*: Omnes labores te excipere video. *Timeo*, ut sustineas. Cic. Multi *verentur*, *ut* hoc, quod a multis aliis perferatur, natura patiatur. Cic. Adulatores, si quem laudant, *vereri* se dicunt, *ut* illius facta verbis consequi possint, ad Heren. Foedus, quia Senatus non iusserat, *veretur* Hiempsal, ut satis firmum sit.

Nota 1) Verba *vereor*, *timeo*, *metuo*, cum *ut*, aut *ne*, contraria fere iunguntur significatione: *vereor*, *ut* etc. de his, quae vellemus fieri, sed ne spe frustremur, metuimus: *vereor*, *ne* etc. de his, quae nollemus fieri, sed ne fiant, extimescimus. E. g. *Vereor*, *ut* placari possit. Ter. Heu *vereor*, ne quid Andria apportet mali. Idem.

Nota 2) *Ne non* idem est, quod *ut*, e. g. *Veremur ne* forte *non* aliorum utilitatibus, sed propriae laudi servisse videamur. Plin. *Vereor*, *ne non* fortunae tuae sufficere possis. Curt. Non est *periculum*, qui leonem aut taurum pingat egregie, *ne* idem in multis aliis quadrupedibus facere *non* possit. Cic. Unum *vereor*, *ne* Senatus Pompeium *nolit* dimittere. Cic. pro: *ut velit*.

Nota 3) Si tertiam addideris negationem, te omni metu liberum significabis. E. g. *Non vereor*, *ne* hoc officium meum P. Servilio *non* probem. Cic. hoc est: *Non dubito*, *quin hoc officium meum P. Servilio sim probaturus.*

VI. Post quaedam verba, ut: *video*, *promitto*, *iubeo*, *sino*, *audio*, *intelligo*, *adverto*, *etc.* Si verbum aliud infinitivi modi sequatur, quod nullum casum aliquid agentem ante se habet, poni illud debet in infinitivo passivo. E. g. Rex *iussit* captivos *redimi*, *non redimere*; impero milites *colligi*, i. e. ut colligantur, non colligere; *audio*, *campanas pulsari*, non pulsare;

sino, permitto domum *aedificari*, non aedificare, iussi literas *scribi*, non scribere. etc. Nec enim se ipsas pulsant campanae; nec milites se ipsos colligunt; nec domus se ipsas aedificant; nec literae se ipsas scribunt; nec captivi se ipsos redimunt. Contra: si verbum infinitivum casum, seu personam aliquid agentem habeat, manebit in infinitivo activo, e. g. Permitto meum fratrem domum *aedificare*, non aedificari; maiores natu audivi *dicere*, non dici; sine me *scribere*, non scribi; iubeo te literas *exarare*, non exarari: *frater* enim, *maiores*, *ego*, *tu* sunt personae agentes. Sic. Alexander sepulchrum Cyri *iussit aperiri*. Curt. Lycurgus sine dote virgines *nubere iussit*. Iust. Periisset omnis Aegyptus fame, nisi monitu Iosephi Rex edicto *servari* per multos annos fruges *iussisset*. Iust. Alexander corpus suum in Hammonis templo *condi iubet*. Iust. In urbe *sepeliri* lex *vetat*. Cic. Lex peregrinum *vetat* in murum *ascendere*. Idem.

Nota 1) Quando per verba *curo*, *do*, *loco*, *suscipio*, *accipio*, *trado*, *appono*, *mitto*, *conduco*, *porrigo*, *relinquo*, *etc.* indicatur, quid cum persona aut re aliqua fieri debeat, pro infinitivo passivo praesentis, recipiunt participium futurum in *dus*, eodem genere, numero et casu cum substantivo cohaerens, e. g. Negotium *conficiendum cures* pro confici; *curavi* literas tuas ad patrem *perferendas*. Thrasibulus non *legem* tantum *ferendam curavit*, sed etiam, *ut valeret*, effecit. Nep. Perfuga venit in castra Fabricii, eique est pollicitus se Pyrrhum veneno necaturum; *hunc* Fabricius *reducendum curavit* ad Pyrrhum. Cic. Antonius *falsa decreta* in aes *incidenda*, et in capitolio *figenda curavit*. Cic. Conon *muros* dirutos a Lysandro *reficiendos curavit*. Nep. Pueris *sententias ediscendas damus*. Sen. Cirus *infans datur occidendus* Harpago, isque pastori regii pecoris *puerum exponendum tradit*, Iust. Antigonus *Eumenem mortuum* propinquis eius *sepeliendum tradidit*. Hi *ossa* eius in Cappadociam *deportanda curarunt*. Nep. Diomedon, rogatu Artaxerxis, Epaminondam pecunia corrumpendum suscepit. Nep. Servilius, consul, aedem Fortunae de manubiis faciendam locavit. Liv. Cassander *filium* Alexandri *cum matre* in arcem Amphipolitanam *custodiendos mittit*. Iust. Astyages *liberos*

Harpago *epulandos apposuit.* Sen. Redemtor *columnam* Iovis *conduxerat* faciendam. Cic. Natura mulieri domestica *negotia curanda tradidit.* Colum.

Nota 2) Constructiones hac et similes per *q. q. q.* et *debeo*, aut per *ut* resolvi possunt, e. g. Pueris sententias ediscendas damus; resolve per *q. q. q.* et *debeo*, fiet: pueris sententias *quas ediscere debeant*, damus. Urbem militibus dedit diripiendam; resolve per *ut*, fiet: urbem militibus dedit, *ut eam diriperent.*

Nota 3) Dicitur etiam: *curabo tibi adductum tuum Pamphilium*, pro: curabo, ut Pamphilius adducatur tibi, vel adducam tibi Pamphilium. *Rogatum te volo.* Plaut. *Dabo tibi hoc effectum.* Ter. Prudenti mandes, si quid recte *curatum velis.* Ter. Patres ordinem publicanorum *offensum nolebant.* Liv. Non est aeque miser, qui patriae consulit, ac is, qui illam *exstinctam cupit.* Cic.

Nota 4) *Curo* pro *gondoskodni valami felől; für etwas sorgen; starat se*, positum, vel quando idem fere, ac *volo* significat, cum Acc. et infin. iungitur, e. g. Vos liberi *esse* non *curatis.* Cic. *Curabis interficere* seditionum duces. Col. Neque *redire curat.* Cic. *Eszében sintsen, hogy vissza jöjjön.* Nec docti *legere curarent.* Cic. Acad. I.

Nota 5) Saepe *volo* cum participio praeteriti est tantum *circumscriptio* temporis praesentis, e. g. Omnes vos *oratos volo*, Ver. pro: oro. Illos, qui in urbe remanserunt, *monitos* etiam atque etiam *volo.* Cic. pro: admoneo.

B) De Constructione Gerundiorum

Quid sunt Gerundia, et quae regula de illis universalis?

Gerundia nihil aliud sunt, quam *nomina verbalia*, vel ut aliis Grammaticis placet *participalia* a genere neutro participii futuri passivi *dum* orta, et per casus omnes excepto Voc. declinabilia; habent ante se nomina, verba, praepositiones more nominum, quorum vices *gerunt*, et quidem Gerundia in *di* ut Genitivi;

Gerundia in *dum*, nisi necessitatem significent, ut Accusativi: Gerundia in *do*, ut Ablativi, vel interdum etiam ut Dativi. Itaque ut dicimus: *Occasio studiorum*, *aptus ad studia*, *fessus est studiis*, *charta inutilis scriptioni*; sic quoque dicimus: *occasio studendi*, *aptus ad studendum*, *fessus studendo*, *inutilis scribendo*. Haec regula universalis diffundi solet in plures regulas, quas hic subiicimus.

Quae regulae de gerundiis quoad singulos casus, quorum loco ponuntur?

I. *Nominativi* casus gerundia in *dum* necessitatem significant, et vel *Dativum* personae iuxta se habent, vel casum omnino nullum; adhibenturque cum verbo substantivo, *sum*, quod nonnunquam tacite intelligitur. E. g. *Moriendum* certe est; at id incertum, an eo ipso die. Cic. *Videndum est*, non modo quid quisque loquatur, sed etiam, quid quisque sentiat. Cicero Potius sero, quam nunquam, obviam *eundum* audaciae, temeritatique. Liv. Non scholae, sed vitae discendum est. *Cum Dativo personae* e. g. *Oratori* quid deceat, *videndum est*, non in sententiis solum, sed etiam in verbis. Cic. *Iuveni parandum*, *seni utendum est*. Sen. Apud Pythagoram *discipulis* quinque annis *tacendum erat*. Sen.

Nota 1) Gerundium hoc in *dum* praeter Dativum communem, aut si Dativus iam adsit, Abl. cum praep. *a* vel *ab*, etiam casum sui verbi admittit, e. g. *Tuo judicio tibi utendum est*. Cic. *Tibi* casus est communis, *tuo iudicio*, proprius verbi.

Nota 2) Si tamen casus verbi fuerit Accusativus, mutabitur gerundium *dum* in participium futuri passivi *dus*, *da*, *dum*, hoc modo: pro *petendum est tibi pacem*, dic: petenda est tibi pax; loco: *timendum est nobis poenas aeternas*, dic: timendae sunt nobis poenae aeternae; licet prisci etiam gerundio in *dum* usi fuerint cum Acc. sic Lucret. I. Aeternas quoniam *poenas* in morte *timendum*; quos imitatus Virgilius L. II. Aen. Alia arma Latinis quaerenda, aut *pacem* Traiano a Rege *petendum*. Quod dicendi genus carmini concesserim, orationi salutae non item:

quamquam et Varro eo non semel utitur, ut Lib. de re rust. Singulis, (inquit) ubi pariant, *faciendum aras* quatuor. Idem. L. 2. c. 6. In foetura *dandum* potius *hordaceos* quam *triticeos panes*.

De his vide plura Instit. Gramm. Parte II. in omissione verbi necessitatis, seu debeo.

II. *Genitivi* casus gerundia in *di* adiiciuntur

1) Certis quibusdam substantivis, quibus quaeri potest: *ad quid?* praecipue voluntatem, aut facultatem, tempus, causam, studium, finem, et cetera eiusdem generis significantibus; talia sunt: *ars, causa, consuetudo, cupiditas, difficultas, genus, illecebrae, libido, metus, modus, occasio, potestas, ratio, scientia, spes, studium, vis, voluntas, etc.* E. g. Sapientia *ars vivendi* putanda est. Cic. Fluit voluptas corporis, saepiusque relinquit causas *poenitendi*, quam *recordandi*. Cic. Mala, et impia *consvetudo est*, contra Deum *disputandi*. Cic. Bene *vivendi cupiditate* incensi omnes sumus Cic. Ut quisque optime dicit, ita maxime *dicendi facultatem* pertimescit. Cic. Deus, fabricator mundi, nulla re magis separavit hominem a ceteris animalibus, quam *dicendi facultate*. Quint. Ipsum *genus iocandi* non profusum, nec immodestum, sed ingenuum ac facetum esse debet. Cic. Quis ignorat maximam *illecebram* esse *peccandi*, impunitatis spem. Cic. Avari homines non solum *libidine augendi* cruciantur, sed etiam *amittendi metu*. Cic. Nulla potest cuiquam male de republica *merendi* iusta esse *causa*. Cic. Pueris non omnem *licentiam ludendi* damus. Cic.

2) Adiectivis quibusdam Genitivum regentibus ut: *avidus, cupidus, peritus, studiosus, gnarus, ignarus, rudis, etc.* e. g. *Cupidus redeundi*. Terent. *Certus eundi*. Virgilius. Augustus *equitandi peritissimus* erat. Svet.

Nota 1) Graecismus est, cum infinitivus pro gerundio ponitur, e. g. Est iam *tempus* equum frumantia *solvere* colla. Virg. Non datur ad musas *currere lata via*. Propert. *Consilium* cepit omnem a se equitatum *dimittere*. Caes. *Potestas* erat sese *levare* gravissima infamia. Cicer.

Cantare periti Arcades. Virg. *Doctus* sagittas *tendere*, Hor. *Timidus perire*. Idem.

Nota 2) Gerundia, quae Accusativo gaudent, fere elegantius more adiectivorum ita efferuntur, ut gerundii casus maneat, servato tamen genere, ac numero Accusativi, quae *gerundiva* dicuntur a quibusdam. E. g. Maxima *memoriae augendae ars* est exercitatio, pro: memoriam augendi. Multi *cupidiores* sunt *emendorum librorum*, quam legendorum. *Ulciscendae iniuriae* facilior *ratio* est, quam *beneficii remunerandi*. Cic. Annibal opinionem de se auxit, *conatu* tam audaci *traiiciendarum alpium*. Liv. Multi propter gloriae cupiditatem *cupidi sunt bellorum gerendorum*. Cic.

Nota 3) Gerundia in *di* interdum Genitivum pluralem pro casu sui verbi admittunt, e. g. *Nominandi* tibi *istorum* erit magis, quam *edendi copia*. Plaut. Doleo, tantam Stoicos nostros Epicureis *irritandi sui* facultatem dedisse. Cic. Permissa *licentia diripiendi pomorum*. Causa est, quia gerundia sunt substantiva utriusque numeri. Alii aliam causam adferunt; qui gerundia singularis solum esse numeri existimant, atque intelligi infinitivum positum pro nomine substantivo, ut *nominandi istorum* puta *nominare*, sive *nomina*.

III. *Dativi* casus gerundia in *do* subiiciuntur nominibus adiectivis, aut verbis Dativum regentibus ad quaestionem: *cui rei?* e. g. Charta emporetica *inutilis est scribendo*. Plinius. Aqua nitrosa *utilis est bibendo*. Idem. Rubens ferrum non est *habile tundendo*. Idem. Crassus, cum *disserendo par* non esset, ad auctores confugit. Cicero. Epidicum *quaerendo operam dabo*. Plaut.

Nota 1) Interdum nomina, a quibus eiusmodi pendent gerundia, eleganter non exprimuntur, e. g. *Solvendo* non erat. Cic. Quae *restinguendo igni* forent, reportantes. Liv. Sitne aliquis plebeius *ferendo magno honori*. Quibus aliisque locis intelligitur per ellipsim *par*, *impar*, *utilis*, aut quid simile.

Nota 2) Gerundio in *do*, dandi casu, activa significatione, perquam raro sequitur casus verbi, quale illud supra citatum. Plaut. *Epidicum quaerendo* etc. quod nec facile videtur imitandum. Potius igitur varietas adiectivo-

rum more gerundiis, ea iungentur, tum verbis, quae Dat. poscunt, ut: *studeo*, *operam do*, *perficio*, *sufficio*, *satis sum*, *praesum*, *intersum*, et aliis. E. g. Nimia augustae (*chartae*) tenuitas *tolerandis* non sufficiebat *calamis*. Plin. Interiecto spatio: quod *supplendo exercitui* satis esset. Liv. tum etiam nominibus, quae eundem casum requirunt, ut: *aptus*, *bonus*, *deditus*, *habilis*, *idoneus*, etc. e. g. Dummodo *perpetiendi labori* sit idoneus. Colum. Alioquin si verbum Accusativum regat, semper pro gerundio *do* participio *dus*, *da*, *dum* cum Dativo ad interrogationem, *cui*, et post verba, aut adiectiva Dativum regentia utendum est. E. g. Cum parum se *idoneum* Diocletianus *moderando imperio* esse sentiret, in privatam vitam concessit. Eutr. Lignum aridum materia est *idonea* eliciendis ignibus. Sen. Ver tanquam adolescentiam significat: reliqua tempora *demetendis fructibus*, *et percipiendis accommodata* sunt. Cic. Cleanthes aquam traxit, et *rigando hortulo locavit* manus. Sen. Brutus cum *studere revocandis* in urbem *regibus* liberos suos comperisset, protraxit in forum, et eos securi percussit. Flor. Materies e Libano monte, *ratibus et turribus faciendis* vehitur. Curt. Decemviros *legibus scribendis* intra decem annos et creavimus, et e republica sustulimus. Liv. Sapiens vires suas novit: scit se esse *oneri ferendo*. Sen.

IV. *Accusativi* casus gerundia in *dum* 1) cum praepositionibus, praesertim *ad*, *et inter* adnectuntur nominibus aut verbis, e g. Non solum ad *discendum* propensi sumus, verum etiam *ad docendum*. Cic. Bene sentire, recteque facere, satis est ad bene, beateque *vivendum*. Cic. Etiam crastinus dies aliquid *ad cogitandum* dabit. Cic. Ut ad cursum equus, *ad arandum* bos, *ad indagandum* canis; sic homo ad duas res, *ad intelligendum*, *et agendum* natus est. Cic. Mores puerorum se *inter ludendum* simplicius detegunt. Quint. Quanto istud flagitiosius, improbius, indignius, eum, a quo pecuniam *ob absolvendum* acceperat, condemnare? Cic. Ipse *inter spoliandum* corpus hostis, veruto percussus, inter primam curationem exspiravit. Liv. *Ante domandum* ingentes tollunt animos. Virg. Flos eloquentiae

circa movendum valet. Quint. Et *inter agendum* occursare capro, cornu ferit ille, caveto.

2) Post quaedam nomina adiectiva, ut: Conturbatus animus non est *aptus* ad exequendum munus suum. Cic. Ad *condonandum difficiles* fere sumus. Idem. Locus *ad agendum amplissimus*, *ad dicendum ornatissimus*. Idem. Neque me *segniorem ad respondendum* reddidisti. Idem

Nota. Gerundia, quae Acc. gaudent, fere eleganti-us more adiectivorum in eodem genere, numero, et casu cum suis substantivis efferuntur, e. g. Homo multa habet instrumenta *ad adipiscendam sapientiam*. Cic. Utilitatis magnitudo debet hominem *ad suscipiendum* discendi *laborem* impellere. Cic. Nemo *ad dandam veniam* difficilior est, quam, qui illam saepius petere meruit. Sen. Dedit natura belluis et sensum, et appetitum, ut altero conatum haberent *ad naturales pastus capessendos*, altero secernerent pestifera a salubribus. Cic. *Ad connectendas amicitias* tenacissimum vinculum est morum similitudo. Plin. Pythagoras Babyloniam *ad perdiscendos* siderum *motus*, *originemque* mundi *spectandum* profectus est. Inde Cretam, et Lacedaemona, *ad cognoscendas* Minois, et Lycurgi leges contendit. Iust. E terrae cavernis ferrum elicimus, rem, *ad colendos agros* necessariam. Cic. Aves *ad imitandum* humanae vocis *sonum* dociles sunt. Curt. Musicen natura ipsa videtur, *ad tolerandos* facilius *labores* velut muneri nobis dedisse. Quint. Multitudo pecudum partim ad vescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim ad *corpora vestienda* facta est. Cic. Boum terga declarant, non esse *ad onus accipiendum* figurata. Cic.

V. *Ablativi* casus gerundia in *do* sequuntur nomen aut verbum, vel *sine praepositione* (quando causam, aut modum significant, vel cum praepositione quando e praepositione significatio determinatur) exempli gratia 1) *sine praepositione:* Nerva optime reipublicae consuluit, Traianum *adoptando*. Eutr. Multi patrimonia effunderunt inconsulte *largiendo*. Cic. Homines ad Deum nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando. Cicero. Multi in tormentis

ementiti saepe sunt, morique maluerunt, falsum *fatendo*, quam *inficiando dolere*. Cic. Hominis mens *discendo* alitur, et cogitando. Cic. Equidem puto, virtutem hominibus *instituendo*, *et persuadendo*, non minis, et vi, ac metu tradi. Cicero. Socrates *percunctando*, atque *interrogando*, elicere solebat eorum opiniones, quibuscum disserebat. Cic. Lycurgi leges laboribus erudiunt iuventutem, *venando*, *currendo*, *esuriendo*, *sitiendo*, *algendo*, *aestuando*. Cic. Et discas, oportet, et quod didicisti, *agendo*, confirmes. Sen. Nihil *agendo* homines male agere discunt. Colum.

2) *Cum praepositione*, ut: Lex est recta ratio *in iubendo*, *et vetando*. Cicero. Virtutes cernuntur in *agendo*. Cic. Convenit cum in *dando* munificum esse, tum in *exigendo* non acerbum. Cic. Adhibenda est *in iocando* moderatio. Cic. Prohibenda est ira in *puniendo*. Cic. Aristotelem in Philosophia non deterruit *a scribendo* amplitudo Platonis. Cic. Iupiter, id est: iuvans pater, quem appellamus *a iuvando* Iovem Cic. Epicurus nihil *de dividendo*, ac *partiendo* docet. Cic. Qui ingenuis studiis, ac artibus delectantur, nonne videmus eos, cum maximis curis, et laboribus compensare eam, quam *ex discendo* capiunt, voluptatem? Cic. Prudentia *ex providendo* est appellata. Cic. Non potest severus esse *in iudicando*, qui alios in se severos esse non vult. Cic. Heus, senex, *pro vapulando* hercle abs te mercedem petam. Plaut. Scribendi ratio coniuncta *cum loquendo est*. Quintil.

Nota. Etiam hic, cum verbum Acc. regit, eleganter usurpari solet participium passivum in *dus*, concordando cum substantivo ex Accusativo in Ablativum cum, aut sine praepositione converso, e. g. 1) *cum praepositione: In voluptate spernenda et repudianda* virtus vel maxime cernitur. Cic. Qui in *ulciscendo* remissior fuit, mox aperte laudatur; at gravissime vituperatur, qui *in beneficiis remunerandis* est tardior. Cic. Exercendum corpus est, ut obedire consilio, rationique possit in *exequendis negotiis*, et in *labore tolerando*. Cic. Boni viri *in augenda re* ne avaritiae praedam, sed instrumentum bonitati quaerant. Cic. *Plerisque in rebus gerendis* tarditas, et procrastinatio odiosa est. Cic. Multi *in equis parandis*

adhibent curam, *in amicis eligendis* negligentes sunt, Cic. *In omnibus officiis persequendis* animi est adhibenda contentio. Cic. *In consilio capiendo* prudentia, in dando fides requiritur. Cic. Quid tam difficile, quam in plurimorum *controversiis diiudicandis*, ab omnibus diligi? Cic. Brutus in liberanda patria est interfectus. Cic. Iustitia in suo cuique *tribuendo* cernitur. Cic. Quis nescit maximam vim existere oratoris *in* hominum *mentibus*, vel ad iram, aut ad odium, aut dolorem *incitandis*, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem, misericordiamque *revocandis?* Cic. Multa sunt dicta ab antiquis *de contemnendis*, ac *despiciendis rebus humanis*. Cic.

2) *Sine praepositione*, *e. g. Superstitione tollenda* non tollitur Religio. Cic. Exercenda est memoria, *ediscendis scriptis* Philosophorum. Cic. Omnis loquendi elegantia augetur *legendis Oratoribus*, *et Poëtis*. Cic. Orationem Latinam perfecto *legendis* Ciceronis *scriptis* efficies pleniorem. Idem. Valetudo sustentatur *notitia* sui corporis, et *observatione*, quae res aut prodesse soleant, aut obesse, et continentia in victu omni, atque cultu, et *praetermittendis* voluptatibus, postremo arte eorum, quorum ad scientiam haec pertinent. Cic.

C) De Constructione Supinorum.

Quid sunt Supina? quomodo, et quando iis utendum?

Quid sunt, et cur sic dicta, non convenit inter Grammaticos. Quintilianus L. 1. c. 4. ea *verba participalia* appellat. Cum enim Graeci pro gerundiis, ac supinis, quibus carent, infinito utantur, Latini modum hunc verborum excogitarunt, ut crebram, et molestam infiniti repetitionem vitarent; alii, ut Phocas, Donatus, Priscianus, etc. vocant illa *nomina participalia* vel verbalia. Desinunt in *um*, *et u;* illa *priora*, haec *posteriora* dicuntur.

I. Supina omnia in *um* activam significationem habent, et tantum passivam, quae sunt a neutrius passivis, ut: *vapulatum:* Supina haec priora casum verbi sui adsciscunt, et cum verbis significantibus *modum ad locum* iunguntur. E. g. *Percontatum ibo*. Te-

rent. *Abi deambulatum.* Idem Themistocles Argos *habitatum concessit.* Nep. Agesilaus Ephesum *hiematum* exercitum *reduxit.* Nep. Totius fere Galliae legati ad Caesarem *gratulatum convenerunt.* Caes. Galli gallinacei cum sole *eunt cubitum.* Plin. Veientes *pacem petitum* oratores Romam mittunt. Liv. Timoleon cepit Mamercum, qui *tyrannos adiutum* in Siciliam venerat. Nep. Perdicas *Aegyptum oppugnatum* adversum Ptolomaeum erat profectus. Nep. Annibal *patriam defensum revocatus est. Nep.*

Nota 1) Grammatici nonnulli docent supina esse *substantiva verbalia*, duos tantum casus, Acc. nimirum, et Abl. habentia, supinumque *um* esse, Acc. supressa praepositione ad, sic: venio gratulatum, quasi *ad gratulatum.*

Nota 2) Verbum *ire* saepissime supino huic iungitur, idemque significat, ac *in eo esse*, *velle*, *conari*, *ut etc.* e. g. Cur me is perditum? Terent. i. e. cur *es in eo*, ut me perdas? Fuere cives qui se remque publicam *perditum irent.* Sal. Ubi se flagitiis dedecoravere turpissimi viri, bonorum praemia *ereptum eant.* Idem. Othonem, ac Vitellium scelestis armis res Romanas *raptum ire*, vulgatum est. Tacit. Hoc natura prius est tua, quam defenderis, aliena *ire oppugnatum.* Liv.

Nota 3) Rationem variandi supinum in *um* sequens formula exhibet:

Pyrrhus ad Romanos legatum *misit*
- 1) pacem *petitum.*
- 2) pacem *petendi* gratia.
- 3) pacis *petendae* causa.
- 4) ad *petendum* pacem.
- 5) ad pacem *petendam.*
- 6) *petiturum* pacem.
- 7) *ut peteret* pacem.
- 8) *qui* pacem aequis conditionibus *peteret.* Eutr.
- 9) *petere* pacem more Graec. et Poë.

II. Supina in *u* fere passivae significationis sunt sine casu, adhaerentque:

1) *Nominibus adiectivis* facultatem, aut modum rei significantibus; talia sunt: *absurdus*, *acerbus*, *ar-*

duus, *asper*, *credibilis*, *crudelis*, *facilis*, *difficilis*, *dignus*, *durus*, *foedus*, *gravis*, *horrendus*, *incredibilis*, *indignus*, *infandus*, *inutilis*, *iucundus*, *levis*, *memorabilis*, *mirabilis*, *mirandus*, *mirus*, *molestus*, *necessarius*, *nefarius*, *obscoenus*, *optimus*, *pessimus*, *pulcher*, *rarus*, *speciosus*, *suavis*, *terribilis*, *turpis*, *utilis*, *etc*. E. g. Quod *optimum factu* videbitur, facies. Cic. O rem non modo *visu foedam*, sed etiam auditu! Idem. Haec etiam *auditu acerba* sunt. Idem. Quo brevior, eo dilucidior, et *cognitu* facilior narratio fiet. Idem. Virtus *difficilis inventu* est, rectorem, ducemque desiderat. Sen. Sapiens *vitatu*, quidque *petitu* sit melius, causas reddet tibi. Hor.

2) *Quibusdam Substantivis*, *ut: fas*, *nefas*, *opus scelus*, e. g. Humanus animus cum alio nullo, nisi cum ipso Deo, si hoc *fas* est *dictu*, comparari potest. Cic. Videtis *nefas* esse *dictu*, miseram fuisse Fabii senectutem. Cic. Ita *dictu opus est*, si me vis salvum esse, Ter. Quod dictu *scelus est*. Prud. in Apoph.

3) Nonnunquam cum verbis ad interrogationem *unde?* E. g. *Obsonatu* redeo. Terentius. Paterfamilias primus *cubitu* surgat, postremus cubitum eat. Cato de R. R.

Nota 1) Singulare, est apud Tacitum vit. Agr. *Pudet dictu*.

Nota 2) Pro posteriore hoc supino adhibetur etiam gerundium in *dum*, vel participium in *dus* cum praepositione *ad* e. g. Haec *ad iudicandum* sunt *facillima*. Cic. pro *iudicatu*. Cibus *facillimus* ad concoquendum. Idem. Oratorem puto esse eum, qui verbis *ad audiendum iucundis* uti possit. Cic.

Nota 3) Supinum in *u* variis praeterea modis exprimitur, et quidem:

a) Post *facilis*, et *difficilis* saepe pro supino ponitur infinitivus; sed tunc adiectiva haec in neutro genere esse debent. e. g. Non *facile est invenire*, qui, quod sciat, non tradat alteri. Cic. pro: non est *facilis inventu*. Augustus pro suis meritis quantopere dilectus sit, *facile est aestimare*. Svet.

b) Nonnunquam pro supino in *u* adhibetur verbum passivum, adiectivo in adverbium mutato. E. g. pro: non *facilis est diiudicatu* amor verus et fictus, non *facile diiudicatur* amor verus et fictus, nisi aliquod incidat eiusmodi tempus, ut, quasi aurum igni, sic benevolentia fidelis periculo aliquo perspici possit, Cic. Ea sunt animadvertenda peccata maxime, quae *difficillime praecaventur*, loco: quae difficillima sunt *praecautu*. Cic.

c) Non raro verbum mutatur in substantivum, poniturque cum verbo *sum* in Nom. e. g. pro: Iusta causa facilis est defensu, iustae causae *facilis est defensio*. Cic. Virtutum, ac vitiorum *facilis est distinctio*. Cic.

d) Aut *substantivum* hoc cum *sum* effertur Genitivo vel Ablativo, posito adiectivo in eodem casu, e. g. Decem viri *erant rari aditus*. Liv. Praetor in *oppidum* accedere noluit, quo *erat difficili adscensu*, atque *arduo*. Cic.

e) Aut idem substantivum cum verbo *habeo* ponitur in Acc. e. g. Dei natura quam sit obscura, et quam *difficiles explicatus habeat* (loco: quam sit difficilis explicatu) intelligimus. Cic.

§ IV.

De Syntaxi verborum impersonalium.

Admonitio. Hactenus de Syntaxi verborum personalium. Sequitur iam Syntaxis impersonalium. Et quidem praemissa doctrina primum *universe* de impersonalibus, prius de passivae vocis impersonalibus agemus, quum minor sit eorum varietas; deinde vero ordine casuum, quos regunt.

Quid sunt verba impersonalia? et quotuplicis generis?

Verbum *impersonale* est, quod prima, et secunda persona utriusque numeri, et tertia multitudinis fere privatur, unde et nomen traxit, ut: *pudet*, *poenitet*. Dicta sunt impersonalia, quod destituantur praecipuis personis prima, et secunda. Quae vero tertiae personae formam habent, ut: *pudet*, *itur*, per eas,

pronominibus additis, primas quoque, secundasque personas significari docet *Diomedes* L. I. Ut *pudet me, te, illum, nos, vos, illos; itur a me, a te, etc.*

Duplicis ea sunt generis: quaedam activae vocis, ut: *piget*; quaedam passivae, ut: *egetur*. Utrumque genus in duo rursus, genera dividit Diomedes. Quaedam appellat *infinita,* quae nec persona certa, *sermonis prima, et secunda;* quae sunt verba ipsius propria quasi membra, nec ullo nominandi casu agentis, aut patientis verbi extrinseco, quam personam *constructionis* appellat, definitur: ut Nostrapte culpa facimus, ut malos *expediat* esse. Ter. *Itur* in antiquam silvam. Virg. Quaedam appellat *finita,* quae casum habent ante se, quo casu addito certus et numerus, et persona definitur. E. g. Facite, quod *vobis lubet.* Plaut. Tota *mihi dormitur* hiems. Mart. Quae quamvis a nonnullis dicantur personalia, sunt tamen Diomedi impersonalia; quia eorum primae secundaeque personae non sunt in usu. Itaque universe notandum: *impersonalia* utriusvis vocis, aut per obliquos personam designare; aut sine casu personae poni, e. g. *Cui* peccare *licet*, peccat minus. Ovidius. Si *libet, licet, egetur* acriter Ter.

Quae regulae de constructione impersonalium passivae vocis?

1) Verba impersonalia passivae vocis fiunt potissimum e neutris o finitis, ut: *statur, vivitur, curritur, itur, ventum est, seritur, egetur*, etc. vel ab activis ipsis, si efferantur absolute, ut *fletur, amatur.*

2) Admittunt ante se Abl. cum praep. *a* vel *ab*, vel tacite, cum absolute ponuntur, e. g. *egetur, statur;* vel expresse, e. g. Cum a *Consulibus* male *pugnatum* apud Claudium esset. Cic. Nihil est *a me inservitum* temporis causa. Idem.

3) Post se habent verborum suorum casus, e. g. *egetur aeris, vel aere*, quia dicitur: *egeo aeris, vel aere; mihi nec seritur, nec metitur; itur Athenas; luditur de tuo corio. Huic quoque rei subventum* est a nobis. Cic. *Siccitate* eo anno *laboratum est.* Livius.

4) Praeter Abl. vel eius loco Dat. non respuunt rectum. E. g. *Metitur Cardamomum.* Plin. *Totus* hodie *navigatur* occidens. Idem. Quae impersonalia finita sunt, ut supra dictum, et differunt a passivis, quod eorum primae et secundae personae non sunt in usu, constructione non differunt.

Nota 1) Impersonalia passivae vocis quaedam suapte natura personalia sunt, et primas ac secundas personas passivae vocis habere possunt, ut quae ab activis, et quibusdam neutris fiunt; dicuntur tamen impersonalia, cum absolute sine ullis personis passiva voce efferuntur, e. g. Ab hora tertia *bibebatur*, *ludebatur*, *vomebatur*. Cic. Phil. In ignem posita est, *fletur*. Terent. Vid. Donat.

Nota 2) Verba vero, quorum primae, secundaeque personae passiva voce non sunt in usu, si tertiis personis nominandi casum adiunxeris, dicuntur impersonalia *finita*, quae certam personam constructionis habent. Nunc *tertia vivitur aetas.* Ovidius. *Noctes vigilantur amarae.* Idem. *Multa* in republica peccantur. Cic. *Pugna* acerrima est cum Rege, summa contentione *pugnata.* Cicero. *Praelium* male *pugnatum* a suis. Sallust. Quia *vivor*, *vigilor*, *peccor*, *pugnor*, in usu non sunt.

Nota 3) Ea igitur potissimum censentur impersonalia; quae primis, secundisque destituta personis, admittunt nominandi casum; siquidem privantur utraque persona et *sermonis*, *et constructionis:* nulloque certo numero, aut persona definiuntur; ideoque *infinita* appellantur, ut initio huius §phi dictum est, e. g. quid agitur? *egetur* acriter. Plaut. Quid agitur? *statur.* Ter. *Cessatum est*, usque adhuc. Idem. *Ignotum est*, *tacitum est; creditum est.* Idem. *Curritur* ad praetorium. Cic. Non *itum est* obviam, cum iri maxime debuit. Idem. Hic *maneri* diutius non potest. Idem. *Ventum* erat ad limen. Virg.

A) Syntaxis verborum impersonalium cum Genitivo.

Quae verba impersonalia vocis activae iunguntur Genitivo?

I. *Verba impersonalia, quae affectum* aliquem indicant, uti sunt: *poenitet*, *piget*, *pudet*, *taedet*, *mi-*

seret, *pertaesum est*, petunt Accusativum *subiecti*, seu personae, et Genitivum *obiecti*, seu rei. E. g. Nunquam *primi consilii* Deum *poenitet*. Sen. Sapientia semper eo contenta est, quod adest, neque eam unquam *sui* poenitet. Cic. Nihil faciendum est; *cuius* nos poenitere possit. Cic. Vident, qui sunt morbo gravi, et mortifero affecti, instare mortem, eosque, qui secus, quam decuit, vixerunt, *peccatorum suorum* tum maxime *poenitet*. Cic. Me non solum *piget stultitia mea*, sed etiam *pudet*. Cic. Postquam Alexander Clitum trucidaverat, *pigere* eum *facti* coepit. Iust. Nunquam me in re bona *mali pudebit auctoris*. Svet. Sunt homines quos *libidinis*, *infamiae suae* neque *pudeat*, neque taedeat. Cic. Prorsus *vitae taedet*; ita sunt omnia miseriarum plenissima. Cic. *Decemvirorum* Romanos *pertaesum est*. Liv. *Eorum* nos magis *miseret*, qui nostram misericordiam non requirunt, quam, qui illam efflagitant. Cic. Nunquam Atticum *suscepti negotii pertaesum est*. Nep. *Tui me miseret*, *mei piget*. Cic.

Nota 1) In his verbis Nominativum latere Priscianus L. 8. docet ex Apollonio: *Pudet me tui*, h. e. *pudor me habet tui*; E. g. *miseret me tui*, h. e. *miseratio me habet tui*. Huic locutioni similis est illa Ciceronis: *Venit* mihi *Platonis* in mentem i. e. Platonis recordatio. Alii existimant impersonalia haec pathetica, fuisse olim etiam personalia. E. g. *Et me quidem haec conditio nunc non poenitet*. Plaut. Singulare est, quod Terentius dixit: *Ita me Dii amabant*, *ut Menedemi vicem miseret me*. Heaut. 4. 5.

Nota 2) Saepe numero obiectum affectus est verbum, et ponitur in infinitivo, e. g. Non me *poenitet vixisse*, quoniam ita vixi, ut non me frustra natum existimem. Cic. Non *me pudet*, *fateri*, nescire quod nesciam.

II. Verba *interest*, *et refert* regunt Genitivum *subiecti*, quia in his verbis subauditur omissum substantivum *commoda* vel *negotia*, e. g. *Civitatum* hoc *multarum* in Graecia interfuit, antiquum vocum servare modum. Cic. Ostendam, quam *salutis communis intersit*, duos consules in republica esse. Cic. Teophrastus accusasse naturam dicitur, quod cervis, et cornicibus

vitam diuturnam *quorum* id nihil *interesset*, hominibus, *quorum* maxime *interfuisset*, tam exiguam vitam *dedisset*. Cic. Plus *interfuit reipublicae*, castellum capi Ligurum, quam bene defendi causam. M. Curii Cic. Semper Milo, quantum *interesset Clodii*, se perire, cogitabat. Cic.

Nota 1) Si subiectum est pronomen personale in sermone patrio, Latini ponunt pronomina: *mea*, *tua*, *sua*, *nostra*, *vestra*; et quasi dicitur: *est inter mea*, *tua*, *etc. commoda*, *vel negotia*, *vel refert se ad mea commoda etc. e. g.* Nihil *interest mea*, quantus circa mortem meam tumultus sit. Sen. Munusculum meum esse quam fructuosissimum, non *illius* magis *interest*, qui accepit, quam *mea*, qui dedi. Plin. Illud cave dubites, quin ego omnia faciam, quae *interesse tua*, aut etiam velle te existimem, et ullo modo facere possim. Cic. Caesar dicere solebat, non tam *sua*, quam *reipublicae interesse*, ut salvus esset. Svet. Epistolis certiores facimus absentes, si quid est, quod eos scire, aut *nostra*, aut *ipsorum intersit*, Cic. *Vestra* Iudices hoc maxime *interest*, non ex levitate testium causas hominum ponderari. Cicero.

Nota 2) Modus, quam *multum*, aut *parum* nostra intersit, non tantum per adverbia, ut: *magnopere*, *minime*, *maxime*, *nihil*, *multum*, *plus*, *tantum*, *quantum*, *etc.* sed etiam per Gen. sequentes indicatur: *magni*, *permagni*, *tanti*, *quanti*, (int. pretii) e. g. *magni interest mea* cum amico uno esse. Cic. Quod *permagni interest*, pro necess. saepe habetur. Cic. Ipsi animi, magni *refert*, quasi in corpora locati sint. Cic. *Parvi refert*, abs te ipso ius dici aequabiliter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu eius muneris aliquam partem concesseris. Cic. Intelligo, *quanti* reipublicae *intersit*, omnes copias convenire. Cic. Facile mea fortuna obtrectatores invenit, non meo quidem merito, sed *quanti* id *refert*, si tamen accidit? Cic. Nihilo *pluris tua* hoc, quam *quanti* illud refert *mea*. Idem.

Nota 3) Nonnunquam pronomina possessiva: *mea*, *tua*, *sua*, *nostra*, *vestra*, cum Genitivo nominis cum verbis *interest*, *et refert* concurrunt. e. g. *Interest mea Oratoris*. Cic. *Tua adolescentis interest*, maiores natu

vereri. Cic. *Mea Caesaris refert* rempublicam vigilanter administrare. Sed solent scriptores hic potius usurpare relativum *qui*, e. g. Id *mea* minime *refert*, *qui* sum natu maximus. Terent. Pro natu maximi. Vehementer id *refert vestra*, *qui* patres estis. Plin. L. 4. ep.

Nota 4) Praeter *nostra omnium*, *vestra utriusque* etc. recte etiam dicitur: *nostrum omnium*, *paucorum vestrum*, *multorum*, *nostrum*, *etc.* Sed tum Genitivus *omnium*, *multorum*, *paucorum*, a verbo *interest* regetur; alter vero *nostrum*, *vestrum* ab his ipsis partitivis, vel numeralibus, ut supra Cap. I. de Syntaxi nimirum §. I. dictum est.

Nota 5) *Cuia*, vel *cuius interest* dicitur. E. g. Ea caedes, si potissimum crimini datur, detur ei, *cuia interfuit*; non ei, *cuia* nihil *interfuit*. Quis enim est hodie, *cuius intersit* istam legem manere? Hoc vero usitatius.

Nota 6) Pro Genitivo rei inanimatae, saepe *interest* Accusativum cum praepositione *ad* adsciscit. E. g. *Magni ad honorem nostrum interest*. *Magni interest ad decus*, *et ad laudem* huius civitatis, ita fieri. Cic. *Magni* videbatur *interesse* ad eam necessitudinem, quam nobis sors tribuisset. Cic. Equidem *ad nostram laudem* non multum video *interesse*; sed *ad properationem meam* quiddam interest, non te expectare. Cic.

Nota 7) Nonnunquam verbum *refert* absolute sine casu ponitur, e. g. Nec numero comprehendere refert. Virgilius.

Nota 8) Verbum *interest*, *refert* nullum apertum Nominativum admittunt, praeterquam pronominum: *hoc*, *istud*, *illud*, *id*, *quod*; Item: *nihil*, et adverbia vel adverbialiter sumta, *tantum*, *quantum*, *multum*, et id genus alia. Igitur res, quae ad nostra commoda refertur, non ponitur in Nominativo, ut plerumque in linguis aliis fit: sed aut substantivo rei, de qua sermo est, aliquod aptum verbum infiniti modi addendum, aut ipsum substantivum in verbum infiniti modi commutandum, vel denique per interrogativa cum coniunctivo, vel per *ut*, aut *ne* efferendum. Sic cave, dixeris: *Religio omnium interest*, sed: omnium *interest religionem salvam esse*, vel ut re-

ligio salva sit. Interest omnium, recte *facere.* Cic. Atheniensium plus interfuit, firma tecta, in domiciliis *habere*, quam Minervae signum ex ebore pulcherrimum. Cic. Magni existimo interesse ad decus, et ad laudem civitatis *res praeclaras* literis *continere.* Cic. Quid nostra refert, *victum esse Antonium?* Cic. Plurimum refert, *colonos*, a primo mane opus *aggredi.* Colum. Maxime interest, *quemadmodum* quaeque res *audiatur.* Cic. Magni interest, *quos* quisque *audiat* quotidie. Cic. Quid refert, *utrum voluerim* fieri, *an gaudeam* factum. Cic. Non tam *interest quo* animo scribatur epistola, quam *quo* accipiatur. Cic. *Refert a quibus*, et *quo* quisque modo sit institutus. Quint. Quid *interest*, *utram* ex homine se quis convertat in belluam, *an* in hominis figura immanitatem geret belluae. Cic. Si sitis, nihil *interest*, *utrum* aqua sit, *an* vinum; nec *refert: utrum* sit aureum poculum, *an* vitreum, an manus concava. Sen. Cum *ut* vel *ne*, e. g. Illud mea magni interest, te *ut* videam. Cic. Utriusque nostrum magni interest, *ut* te videam, antequam discedas. Cic. Vestra commilitones interest, *ne* Imperatorem pessimi faciant. Tacit.

Nota 9) Addunt aliqui etiam *est*, quando idem significat, atque *officium est*, *proprium est*, e. g. *Non est sapientis* dicere: non putaram. Cic. Verum de hoc sup. Cap. III. §. II. in Syntaxi verborum personalium cum Genitivo.

B) Syntaxis verborum impersonalium cum Dativo.

Quae verba impersonalia regunt Dativum?

Quaedam verba impersonalia, quorum multa *eventum*, vel *commodum* fere significant, postulant ante se Nom. vel aliquam orationis partem, praesertim vero infinitivum loco Nom. post se vero Dativum, talia, verba sunt: *accidit*, *contingit*, *evenit*, *obtingit*, *incidit*, *usuvenit*, *cadit*, *cedit*, *succedit*; verba utilitatis, ut: *expedit*, *conducit*, *praestat*, pro satius est: *confert*, *liquet*, *constat*, *patet* omnibus; *suppetit*, *superat*, *et suppeditat*, pro suppetit; *stat*, *sedet* ea mihi

sententia, pro placet; *sufficit*, *restat*, *superest*; item: *libet*, *lubet*, *collibet*, *placet*, *displicet*, *licet*, *convenit*, *vacat*, *etc.* E. g. Facile quod *vobis* libet. Ter. *Mihi placebat*, ut te Leucadem deportares. Cic. Peccare *nemini licet*. Idem. *Libet mihi* deplorare vitam. Cic. Si habes, quod *tibi liqueat*. Cic. Quod *beneverteret* ipsi reique publicae. Liv. Quod *tuae laudi conducere* arbitror. Cic. *Stet nobis* illud, una vivere in studiis nostris. Cic. Idque pio *sedet Aeneae*. Virg. Non *cuivis homini contingit* adire Corinthum. Horat. Non *vacat* exiguis rebus adesse *Iovi*. Ovid.

Nota. 1) Quibusdam videtur hic Dativus non tam verborum, quam *communis commodi* esse: cuius rei argumentum esse potest, quod idem cum vernacula Syntaxi plane conveniat, ut singula examinanti patebit.

Nota 2) Quaedam horum verborum personalia sunt, et utroque numero cum quovis Nominativo personae tertiae efferuntur, e. g. Cetera item quae cuique *libuissent*. Svet. Ut ambitioni, et quotidianis sumtibus copiae *suppetant*. Cic. *Confert* admirationi multum infirmitas. Quint. Timebam, ne *evenirent* ea, quae acciderunt. Cic. Eadem mihi *usuveniunt*. Idem. Nec carmina nobis ipsa *placent*. Virg.

Nota 3) *Conducit* interdum, *confert* fere semper, pro Dativo rei inanimatae admittunt Accusativum cum praep. ad e. g. Cum consultant, *conducat* id, nec ne *ad vitae commoditatem*. Cic. Etiam cum Accusativo, et praep. *in* e. g. Quod *in rem conducit tuam*. Plaut. Cum Dativo et infinit. *Rationibus id nostris conducit fieri*. Cic. Comoedia plurimum ad eloquentiam confert. Verum *confert*, Dativo personae (ut id *mihi confert*) non iungitur.

Nota 4) *Constat*, *et convenit* etiam praepositionem *cum* conveniente casu interdum admittit. E. g. Ut *inter omnes constat antiquos*. Cic. in Orat. Mihi *cum illo convenit*. Cic. ad Att. Saevis *inter se convenit* ursis.

Nota 5) Dicitur etiam pro *liquet nobis*, *liquet inter nos*. Cic. l. de nat. i. e. compertum, et certum habemus;

C) Syntaxis verborum impersonalium cum Accusativo.

Quae verba impersonalia regunt Accusativum?

I. Quaedam verba impersonalia postulant ante se Nominativum, vel loco Nominativi aliquam orationis partem praesertim vero infinitivum, post se Accusativum; talia sunt: *decet*, *dedecet*, *delectat*, *iuvat*, F. g. *Iudicem decet*, non solum manus, sed etiam oculos abstinentes habere. Cic. Omnia prius *experiri* verbis, quam armis, *sapientem decet.* Terent. *Oratorem irasci* minime *decet*, *simulare* non *dedecet.* Cic. *Omnes homines* summo opere *niti decet*, ne vitam silentio transeant, veluti pecora. Sall Non solum, quid *ceteros audire*, verum etiam, quid me *deceat dicere*, considerabo. Cic. *Decet verecundum esse adolescentem.* Plaut. Te esse hilari animo, valde *iuvat.* Cic. *Iuvat nos* beneficii conscientia. Sen. *Iuvat me*, quod vigent studia. Plin. Inprimis *me delectavit* tantum studium bonorum in me exstitisse. Cic.

Nota 1) Haec quoque verba non raro utroque numero cum quovis Nominativo tertiae personae usurpantur, e. g. Quam *te aliena deceant.* Cic. Satin' haec *me vestis deceat?* Plaut. *Te omnia dedecent.* Sen. *Parvum parva decent.* Hor. *Me status hic* reipublicae non *delectat.* Cic. *Oratio solicita* Philosophum non *decet.* Sen. *Condita pax* homines, *trux decet* ira feras. Ovid. Miseros *convicia* non *decent* Iust. Magis in studiis homines *timor*, quam *fiducia decet.* Plin. *Quid deceat* vos, non quantum liceat vobis, spectare debetis. Cic.

Nota 2) *Decet* etiam cum Dativo positum invenies interdum, praesertim quando non statim additur aliud verbum, e. g. *Quandoque* id *deceat prudentiae tuae.* Cic. *Vobis decet*, ita *nobis decet.* Terent. Locum editiorem, quam *victoribus decebat.* Sallust. Isthuc facinus, quod tu insimulas, *nostro generi* non *decet.* Plaut. Amph.

II. *Oportet* construi deberet cum *ut*, quod vero fere semper omittitur, *) eiusque construendi ratio est duplex:

*) Apud Cic. Invent. II. 19. occurrit post *oportet ut*: multum *oportet*, *ut* diu consistat; in edit. Ernesti pro ut legitur et.

1) Ponitur Accusativus cum infinitivo. E. g. *Me* iustum *esse* gratis oportet. Sen. Legem brevem *esse oportet*, quo facilius ab imperitis teneatur. Sen. *Virum bonum* nec prece, nec pretio, nec gratia, nec periculo a via recta *deduci oportet* ad Her. *Narrationem oportet* tres habere res: ut brevis, ut aperta, ut probabilis sit. Cic. A recta conscientia transversum unguem non *oportet quemquam* in omni vita sua discedere. Cic. *Voluptatem contemni*, *et reiici oportet*. Cic. Docet ratio mathematicorum, *quam* Chaldeis notam *esse oportebat*, quanta humilitate luna feratur. Cic.

2) Omissa coniunctione *ut*, tota enunciatio manet, nihil mutata. E. g. Me ipsum *ames oportet*, non mea, si veri amici futuri sumus. Cic. Suis te *oportet* illecebris *ipsa virtus trahat* ad verum decus. Cic. *Animus oportet tuus te iudicet* divitem, non hominum sermo, neque possessiones tuae. Cic. Philosophiae *servias oportet*, ut tibi contingat vera libertas. Sen. Semper is, qui defendit, non solum *resistat*, *oportet*, sed etiam rationem *subiiciat* recusationis suae. Cic.

Nota 1) Haec verbi *oportet* construendi ratio saepe perspicuitati *servit* e. g. *Me ames*, *oportet*, est perspicuum; at *si oportet* cum Acc. et infinit. construas, *me amare oportet*: ambiguam reddidisti enunciationem.

Nota 2) *Oportet* non raro absque Acc. subiecti occurrit; quod modo Nominativum aperte habet, e. g. *Haec facta* ab illo *oportebant*. Terent. Est aliquid quod non *oporteat* (fortassis per Ellipsim *facere*, vel *fieri*) etiamsi liceat. Cic. Modo membrum orationis, Nominativi, e. g. *Irritari* Antonium non *oportuit*. Cic. A nulla re honesta, periculi aut laboris magnitudine *deduci oportet*. Nullo dolore *cogi oportet*, ut ab officio recedatur; ad Her. Omnes

leges ad commodum reipublicae *referre oportet*, et eas ex utilitate communi *interpretari*. Cic. *Oportet*, multo diligentius muneri suo *consulere*, quam facultatibus. Plin. Verum numero multitudinis usurpandum non videtur.

III. *Fugit*, *latet*, *praeterit*, *fallit*, cum impersonaliter usurpantur, huc revocanda sunt, ut: *me non fugit*, *me non praeterit*, *etc. i. e. scio.* E. g. De Caesare *fugit me* ad te scribere. Cic. *Latet plerosque* superiorum trium siderum ignes esse, qui fulminum nomen habeant. Plin. *Non me praeterit*, nos eam rem Ephesi expertos esse. Cic. In lege nulla esse eiusmodi caput, *te non fallit*. Cic. *Non te fugit* qui plurimus benigne fecisti, quam multi grati reperiantur. Cic. Non *me praeterit*, Gallos fama belli praestare. Liv. Non *me fugit*, quam sit acerbum, parentum scelera filiorum poenis lui. Cic. Quid sit optimum, *neminem fugit*. Quint. Non *me fugit*, vetera exempla pro fictis fabulis iam haberi. Cic.

Nota. *Latet*, proprie est Verbum personale, occurrit nonnunquam sine casu, e. g. Id, qua ratione consecutus sit, *latet*. Nep. Saepe numero vero cum Dativo, et Accusativo, e. g. cum Dativo: Nihil moliris, quod *mihi latere* valeat in tempore. Cic. Ubi *nobis* haec auctoritas tamdiu *latuit*? Cic. *Mihi lates*. Lucan. cum Accusativo, e. g. Quod *latet nostrum sensum*. Varro. Nec latuere doli fratrem. Virg. *Latet plerosque* Plin. et sic frequentius.

IV. Quaedam verba impersonalia postulant ante se Nominativum, vel loco Nominativi aliquam orationis partem, praesertim vero infinitivum, post se Accusativum cum praepositione *ad* e. g. Hoc *ad me* nihil *attinet*. Cic. *Ad rem pertinet*, quomodo coelo affecto quodque animal oriatur. Cic. *Ad rem publicam pertinet*, viam Domitiam munire. Idem. *Attinet* etiam sine praepositione invenitur, e. g. Quid *me attinet*. Cic. Dom. *Attinet quemquam*. Cic. Quint. 19.

Nota 1) Haec quoque verba utroque numero, et cum quovis Nominativo tertiae personae saepius efferuntur, e. g. Beneficia, quae *ad singulos spectant*, et *ad universos pertinent*. *Cic.* *Ad quem* suspicio maleficii *pertineat*. *Idem.*

Nota 2) Vulgare illud: *Hic liber spectat ad me*, *loco meus est*, barbarum est.

V. Verbum *pluit* aliqui putant construi cum Accusativo, moti fortasse Ciceronis, et Livii auctoritate; ille enim II. de Div. habet; *sanguinem pluisse*, senatui nunciatum est; hic: L. IV. c. 19. In area Vulcani, et Concordiae, *sanguinem pluit*. Rarum id, si tamen locus mendo caret: aliqui enim codices habent *sanguine*; nam *aliqui pluere lapidibus*, *imbre*, *lacte*, *terra*, *sanguine*, nusquam non obvia sunt, e. g. Nunciatum est regi, in monte Albano lapididus *pluisse*. Liv. L. 1. Saturniae nunciatum erat: *sanguine* per triduum *pluisse*. *Oximi pluisse terra* Idem. Dec. III. L. III. L. IV. Relatum in monumenta est: *lacte et sanguine pluisse*. Plin. L. 2. c. 56. Et saepe alias: *carne ferro*, *lateribus coctis*, etc. In Picaeno *lapidibus pluisse*. Val. Max. Sic *ningit*. Luer. L. II. *Ninguntque* rosarum *floribus*.

Nota 1) Impersonalium horum verborum: *pluit*, *tonat*, *ningit*, *fulgurat*, *grandinat*, *diescit*, *vesperascit*, etc. tertiis personis absolute, sine Nominativo utimur. Interdum tamen vel aperte additur Nominativus rei, quae pluviam, tonitru, aut quid simile ciet, e. g. *Coelum tonat omne fragore*. Virg. *Zephyrique tonat domus*. Idem. Vel occulte intelligitur *Deus*, aut *natura*, aut aliquid eiusmodi.

Nota 2) Exprimitur in eodem casu res, quae pluendo decidit, e. g. Effigies, *quae plueral*, spongiarum fere similis fuit. Plin. Nec de concussa tantum *pluit* ilice *glandis*. Virgilius. *Multus* ut in terras *deplueretque lapis*, Tibul. *Saxa pluunt*. Stat. 8. Theb.

CAPUT IV.

De syntaxi participiorum.

Admonitio. *Valla*. I. 52. et *Macrobius* I. 2. cap. 10. Sat. *Participiorum talem, tantumque gratiam esse recte affirmat, ut sine iis non sit latina plene oratio:* quare adolescentibus in syntaxi doctrina de paticipiis diligenter inculcanda et creberrima exercitatione in usum deducenda erit. Eorum enim rectus et creber usus est praecipuarum elegantiarum una, et latinae linguae quasi propria, quo duae plerumque, nonnunquam plures enunciationes in unum contrahuntur, et mira, elegansque orationi brevitas comparatur. Haec concinna brevitas scienter, opportuneque adhibita character est veri sermonis latini, quo non solum ab aliis linguis distinguitur, sed prae aliis etiam venustatem obtinet rariorem. Ex quo sequitur: eum, qui participia in oratione latina vel negligit vel repudiat, nunquam latine scripturum, carere illum principe latini sermonis dote. Unde participia apud latinos orationi advenire soleant, Institutionum Grammaticarum parte II. explicuimus, quae hic recolenda sunt, imprimis, quae de omissione relativi *qui*, *quae*, *quod* tradita sunt. Quo autem facilius adolescentes tam in analyticis, quam syntheticis exercitiis progrediantur, id est: tam modum Ablativos *absolutos* seu *consequentiarum*, et duas vel plures constructiones per participia in unam contractas in sua verba, et particulas *postquam*, *dum*, *si*, coniunctionem *et*, relativum *qui*, *quae*, *quod* resolvendi, quam etiam brevem ac tutam methodum *ablativum absolutum* rite struendi; una et nominatas particulas *postquam*, *dum*, *si etc.* omittendi condiscant, dicendum erit 1) de constructione participiorum in genere, 2) de participiorum resolutione, 3) de recto participiorum usu.

§. I.

De participiorum constructione.

Quid sunt participia? et quid de eorum constructione in genere notandum?

I. Participia sunt vocabula, quae notionem verbi forma adiectivi exprimunt. Participia vocantur, quia partem suae naturae capiunt seu *participant* a nomine, ut: *genus*, *numerum*, *declinationem*, et saepe *comparationem*; partem a verbo, ut significationem *actionis*, aut *passionis* et *tempus*. Triplex, ut adiectiva, genus habent, per omnes casus flectuntur: et ad genus, numerum et casum substantivi sui se accommodant: Regunt vero etiam casum *) ut verba, a quibus derivantur, exprimuntque tempora verbi **).

*) E. g. Genitivum, ut: *accusans* vel *accusatus furti*. Dativum, ut: *dans* vel *datus pignori*. Accusativum, ut: *legens Virgilium*. Ablativum, ut: *affluens divitiis*, *culpatus* a multis. Sic: *Eunti mihi Antium*, et gladiatores Metelli cupide *relinquenti venit obviam* tuus puer. Cic. *Is regi* cum omnis generis donis, non *ipsi* modo ea, sed etiam *amicis* eius *daturus occurrit*. Curt. Anius *ingenti praeda potitus* Romam rediit. Liv. Malo virum *pecunia*, quam pecuniam *viro indigentem*. Valer.

**) Praecipuum participii *accidens*, per quod a reliquis distinguitur adiectivis, est *tempus*. Tempora participiorum sunt tria: *Praesens*, quod exit in *ans* et *ens*, ac ab omni verborum genere nascitur, exceptis passivis, ut: *amans*, *serviens*, *complectens*, *utens*; nonnunquam tamen, praesertim apud Poëtas, participia praesentis ponuntur pro *passivis*, ut: *vertens* qui vertitur; *volvens*, qui volvitur; *vehens*, qui vehitur etc., sic saepius apud Virgilium leges: *vertentibus* annis, *volventibus* annis, *volventia* lustra, *vehentia* plaustra etc. 2) *Praeteritum* desinens in *tus*, *sus*, *xus*, quod fit a verbis passivis ac deponentibus, ut: *amatus*, *usus*, *amplexus*, unum si excipias in *uus*: *mortuus* a morior. Participia haec

praeteriti temporis a verbis deponentibus orta habent significationem *activam;* e. g. Imperator *hostem persecutus;* de victoria *gloriatus* etc. Occurrunt tamen nonnulla etiam *passive* posita, e. g. *adeptam* libertatem, *adepto* principatu, *adeptas palmas*, uno *comitatus* Achate, pars itineris *emensa.* A quibusdam neutris etiam occurrunt participia passiva *praeteriti* temporis, et quidem partim in *passiva significatione*, praesertim apud Poëtas; ut nox *vigilata*, carmen *vigilatum.* Largaque provenit *cessatis* messis in arvis. Ovid. In cinere *deflagrati* imperii. Cic. *Titubata* vestigia. Virg. Sic etiam: *erratus*, *laboratus*, *triumphatus*, *festinatus* etc. e. g. *Festinati honores* Plin. Paneg. Partim retinent neutram significationem et intransitive sumuntur, ut: *adultus*, i. e. qui adolevit; *coenatus*, i. e. qui coenavit: *iuratus*, i. e. qui iuravit, e. g. *Coenato* mihi epistola est reddita. Cic. *Iniurato* plus credet mihi, quam iurato tibi. Plaut. 3) *Futurum*, quod in *rus et dus* exit. Participia in *rus* oriuntur ab omni genere verborum, exceptis passivis, ut: *amaturus*, *serviturus*, *complexurus*, *usurus.* Participia in *dus* fiunt a passivis, ut: *amandus* ab amor; saepe enim a deponentibus, praesertim quae accusandi casum habent, ut: *sequendus* a sequor, *ulciscendus* ab ulciscor etc., semperque significant passive, etiamsi a verbo deponenti descendant; et quidem *necessitatem*, *officium*, *debitum*, aut simile quid notant potius, quam tempus futurum.

II. Participia in *ans* vel *ens* desinentia, cum in nomina degenerant, pro casu verbi Genitivum, ut iam Cap I. in Syntaxi nominum §. I. de Genitivo post nomina adiectiva (sub h) innuimus, regunt; e. g. Omnino *est amans* sui virtus. Cic. Pertinere ad beate vivendum arbitror, ut cum viris bonis, iucundis, *amantibus tui* vivas. Cic. Cum navigare poteris, ad nos *amantissimos tui* veni. Cic. Veteres Romani semper *appetentes gloriae*, atque avidi laudis fuerunt. Cic. Nihil est *appetentius similium* sui, quam natura. Cic. Natura sumus studiosissimi, *appetentissimique honestatis*, Cic. Quidam philosophi virtutem ob eam rem laudarunt,

quod *efficiens* esset *voluptatis*. Cicero. Gens Gallorum haudquaquam *religionis negligens* est. Liv. Darius *nullius salubris consilii patiens* erat. Curt. Mare mortuum in Palaestina *navigationis est impatiens*. Just. Ovillum pecus, quamvis ex omnibus animalibus vestitissimum, *frigoris* tamen *impatientissimum* est. Col. Herus liberalis est, et *fugitans litium*. Ter. Corpus *patiens* inediae, *vigiliae*, *algoris*, Sallust.

Nota. Grammatici nonnulli, quos inter *Vossius*, participia, cum fiunt nomina, significationem etiam mutare, quia admittunt tempus, existimant; e. g. Dicitur *fugitans lites*, qui iam fugit; *fugitans litium*, qui fugere solet. *Patiens inediam*, qui iam patitur; *patiens inediae*, qui pati assuevit.

III. Nonnulla etiam praeteriti temporis interrogandi casu gaudent, cum fiunt nomina, de quorum nonnullis iam, ut omnibus adiectivis, supra dictum, ut: *consultus*, *doctus*, *profusus*, *expertus*; e. g, Neque enim ille magis *iuris consultus*, quam *iustitiae* fuit. Cic. Lenaeum *Grammaticae artis doctissimum*. Plinius. Alieni *appetens*, *profusus sui*, Salust. Servitutis indignitatisque homines *expertos* adversus notum malum irritatos esse. Liv. Horum quaedam liberius a Poëtis et Historicis videntur usurpata; sic illa: *scitus vadorum*, *victus*, *erectus*, *falsus animi*, poëtica sunt.

Nota 1. *Eruditus* cum Genitivo apud idoneos auctores non invenies, sed cum Ablativo, quem casum a suo verbo accipit; e. g. Brutus erat cum *literis latinis*, tum etiam graecis, ut temporibus illis, *eruditus*. Cic. *Doctus* item cum Ablativo eleganter iungitur; e. g. Non tam in dicendo admirabiles, quam *docti* et *graecis literis* et *latinis*. Idem.

Nota 2.) *Peritus*, quod inter nomina *scientiam* indicantia, atque Genitivum regentia retulimus: quidem inter participia praeteriti temporis referuntur, et a prisco verbo *prio* deducunt. Cicero pro Cluent. eo etiam in Ablativo usus est, ut: Quis C. Octavio ingenio prudentior, *iure peritior?* saepius apud eundem, et Caesarem: *usu peritus*.

Nota 3 Haec tria: *eruditus*, *doctus*, *imperitus* interdum praepositionem *ad* cum Accusativo admittunt: e. g. Diuturna servitute *ad nimiam assentationem eruditi.* *Cic.* In eodem mihi videntur omnes ludo *doctae ad militiam.* Terent. Jurisconsultus, qui legum et consuetudinis ad *respondendum* et *cavendum* peritus sit. Cic.

Nota 4. Quaedam verba activa participium habent praeteriti temporis, passiva voce, activa significatione, ut: *osus* a prisco odio; hinc *exosus*, *perosus*, cum Accusativo; e. g. *Patrios mores exosus es.* Curtius. Plebs Consulum *nomen perosa.* Liv. *Inimicos* semper *osa* sum. Plaut. *Osus eum* morum causa fuit. Gel. Sic *pertaesus ignaviam suam*, Svet. a prisco *pertaedeo*; quamvis hoc iure suo etiam Genitivo iungi possit; e. g. *Lentitudinis* eorum *pertaesa.* Tacit.

Nota 5. Haec participia: *natus*, *prognatus*, *satus*, *cretus*, *editus*, *ortus*, uti etiam *oriundus* adsciscunt Ablativum cum et saepe sine praepositione; e. g. Nobili *genere natus.* Sallust. Quo *sanguine cretus?* Virgil. Ex *Iberis et Celtis genitus.* Mart. *Peregrina stirpe oriundus.* Livius.

IV. Futuri temporis passiva, etsi in nomen non transeant, Dativum interdum habent, more Graecorum; e. g. *Gerendus tibi est* mos adolescentibus. Cic. Restat Chremes, qui *mihi exorandus est* Terent. Sed frequentius Ablativum, e. g. Non putabam *a me scribenda esse* publice. Cic.

Nata 1. Quaedam verbalia, quae desinunt in *bundus* et sunt praesentis temporis, regunt etiam casum sui verbi; e. g. *Vitabundus classem.* Sallust. *Venerabundus regem.* Curt. *Meditabundus bellum.* Just. *Gratulabundus patriae.* Idem.

Nota 2. *Utendus*, *abutendus*, *fruendus*, *profruendus*, *vescendus*, pasive etiam reperiuntur, quod olim Accusativum admitterent; e. g. Quod illa aetas magis ad haec *utenda* idonea est. Terent. Et graviter feras, quod *utendum* acceperis, reddidisse. Cic. His se *abutendum* permisit et tradidit. Svet. *Fruenda* etiam est sapientia. Cic. Ad *perfruendas* voluptates. Idem. Quod erat ad *vescendum* hominibus apta. Idem. Sic vir mihi *carendus* apud Ovidium epistola I. propterea, quod olim *careo* Accusativo

iungebátur; e. g. Plaut. Curt. Id, quod amo, *careo.* De iis omnibus verbis, quae Accusativo iunguntur, in participia futuri temporis mutandis, eorumque construendorum ratione plura in constructione gerundiorum dicta sunt.

§. II.

De Participiorum Resolutione.

Quae regulae in participiorum resolutione observandae?

Vernaculae linguae participia reddunt: 1) aut per participia seu adiectiva eiusdem potestatis, e. g. *docens* (tanító, lehrend, ucsicy), *legens* (olvasván, vagy olvasó, lesend, oder der, die, das lesende, csitagi y); *lectus* (olvastatott, gelesen, csitany); *doctus* (tanittatott, gelehrt, ucseny); *docendus* (tanittataudó) etc., aut 2) per substantiva, e. g. Ante Romam conditam (Róma' építése előtt, vor Erbauung Roms, pred Wistaweni Rimú). Tarquinius Ardeam oppugnans, imperium perdidit (Tarquinius midőn Ardea városát ostromolná etc., vagy Ardea' ostromoltatása alatt, vagy ostromlásakor; als, oder da er Ardea belagerte, oder bei der Belagerung etc.; pri Obleženi etc.); aut denique 2) resolvit ea per particulas (q. q. q., *cum*, *quum*, *dum*, *si*, *postquam*, *quia*, *etsi*, *quamquam*, *quamvis*, etc., ki, melly, midőn, mikor, ha, minekutána, mivel, mert, mivelhogy, minthogy, haszinte, jóllehet, ámbár, noha, és, is; welcher, der, wer, was, als, da, indem, nachdem, wenn, weil, obwohl, obgleich, ungeachtet, und; — kteri, kdo, kdiš, gak, gestli, gestlizse, pakli, potom, kdiš, gakš, poneważdč, acskolwek, gakskoli, necht' gest tak, badto tak, a take etc., ubi participium ad tempus, ad quod pertinet, reducitur.

Juvat regulas has de resolutione participiorum variis exemplis auctorum classicorum illustrare, quae adolescentes domi vel in scholis resolvant per aptas particulas, ac in linguam etiam transferant vernaculam. Analyticis eiusmodi resolutionibus sub-

acti quodammodo discipuli facilius progredientur in syntheticis, inque contrahendis ope participiorum duobus vel pluribus commatibus in unum, abiecto pronomine qui, *vel particulis* cum, dum, postquam, si, quia, etsi, et, quod etc.

1.) Resolve per *qui, quae, quod.* Gloria est *consentiens* laus bonorum. Cic. Temeritas est *florentis aetatis;* prudentia *senescentis.* Idem. Mens est opinio magni *mali impendentis.* Id. Venia est *poenae meritae* remissio. Sen. Saepe Cimon, cum *aliquem* videret minus bene *vestitum,* suum amiculum dedit. Nep. Jacet corpus *dormientis*, ut mortui; viget autem et vivit animus. Cic. Nihil est magnum *somnianti.* Idem. Regia (crede mihi) res est *succurrere lapsis.* Ovid. Nemo cunctam *intuens* terram, de divina providentia dubitavit. Cic. Lex est voluntas Dei *imperans* honesta, *prohibens* contraria. Idem. Omnes aliud *agentes*, aliud *simulantes*, perfidi, improbi, malitiosi sunt. Idem. Pisistratus primus Homeri libros, *confusos* antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. Idem. Prudentia est rerum *expetendarum*, fugiendarumque scientia. Idem. Omnis benignitas properat, et proprium est libenter *facientis* cito facere. Sen. Male *parta* male dilabuntur. Idem.

2.) Resolve per *quum.* Dionysius tyrrannus Syracusis *expulsus* Corinthi pueros docebat. Cic. Mundum efficere *moliens* Deus terram primum, ignemque iungebat. Idem. Tarquinius Superbus Ardeam *oppugnans* imperium perdidit. Eutr. *Aranti* Quinctio Cincinnato nunciatum est, eum dictatorem esse factum. Cic. Curio ad focum *sedenti* magnum auri pondus Samnites cum attulissent, repudiati ab eo sunt. Idem. Pyrrhus, Tarentinis adversus Romanos *laturus* auxilium, ab Antigono naves mutuo petit. Just. Talia *agentem* et *meditantem* Caesarem mors praevenit. Svet.

3.) Resolve per *dum.* Aër *fluens* huc et illuc ventos efficit. Cic. Dei, noctisque vicissitudo conservat animantes *tribuens* aliud agendi tempus, aliud quiescendi. Idem. Plura *locuturi* subito diducimur imbre. Ovid. *Inflectens* sol tum ad septemtrionem, tum ad me-

ridiem, aetates et hiemes efficit, et ea duo tempora, quorum alterum hiemi senescenti adiunctum est, alterum aestati. Cic. Alexander Aesculapio et Minervae ludos celebravit. *Spectanti* nuncius laetus adfertur, Persas a suis esse superatos. Curt. Plato *scribens* mortuus est. Cic.

4.) Resolve per *postquam*. *Lauti* cibum capiunt Germani. Tac. Persae mortuos, cera *circumlitos*, condunt. Cic. Formicae semina *arrosa* condunt, ne rursus in fruges exeant e terra. Plin. Pleraeque scribuntur orationes, *habitae* iam, non ut habeantur. Cic. Aegyptum Nilus irrigat; *mollitosque* et *oblimatos* agros ad serendum relinquit. Idem. Immanes et feras bestias nanciscimur venando, ut et vescamur iis, et utamur *domitis* et *condocefactis*, ut Elephantis. Idem. Alexander descendit in flumen, vixque *ingressi* subito horrore artus rigere coeperunt. Curt.

5.) Resolve per *si*. Socratis morti illacrimari soleo, Platonem *legens*. Cic. Mendaci homini, ne verum quidem *dicenti*, credere solemus. Idem. Luna, incidens in umbram terrae, repente deficit. Idem. Sol matutino tempore *et vergens* ad occasum minus virium habet. Sen. Quid mihi, inquit Diogenes, ferarum laniatus oberit, nihil *sentienti*? Cicero. Quid hominem octoginta anni iuvant, per inertiam *exacti*. Sen. Ne mente quidem recte uti possumus, multo cibo et potione *completi*. Cic. Uva primo est peracerba gustatu, deinde *maturata* dulcescit. Idem. Stultus est, qui equum *empturus*, non ipsum inspicit, sed stratum eius, ac frenos. Sen. Ciconiae *abituriae* congregantur in loco certo. Plin.

6.) Resolve per *quia*. Dionysius, cultros *metuens* tonsorios, candenti carbone sibi adurebat capillum. Cicero. Democritus divitias proiecit, onus illas bonae mentis *existimans*. Sen. Nihil affirmo, *dubitans* plerumque, et mihi ipse *diffidens*. Cic. Hephaestion longe omnium amicorum carissimus erat Alexandro, cum ipso pariter *educatus*. Curt. Athenienses Alcibiadem, *corruptum* a rege Persarum, capere Cymen noluisse, arguebant. Nep. Cophas suadere coepit Arimazi Pe-

trano tradere, gratiam regis *ituro*, si eum in unius rupis obsidione haerere non coëgisset. Curt.

7.) Resolve per *etsi*. Ut oculus, sic animus, se non *videns*, alia cernit. Cic. Pleraque ante oculos *posita* transimus. Sen. Risus interdum ita repente erumpit, ut eum *cupientes* tenere nequeamus. Cic. Misericordia occurrere solet supplicibus et calamitiosis, nullius oratione *evocata*. Idem. Philotas non erubescebat Macedo *natus*, homines linguae suae per interpretem audire. Curt.

8.) Resolve per *et*. Alexander *detractum* annulum digito Perdicae dedit. Curt. Quinctius Cincinnatus agrum quatuor iugerum *possidens*, manibus suis colebat. Eutr. Triginta tyranni plurimorum bona *publicata* inter se diviserunt. Nep. Grues cum loca calidiora *petentes* maria transmittunt, trianguli efficiunt formam. Cic. Sunt sidera, quae *infixa* coelo non moventur loco Idem. Librum misi exigenti tibi; *missurus* et si non exegisses. Plin. Jure interfectum Clitum Macedones decernunt, sepultura quoque *prohibituri*, ni rex humari iussisset. Curt.

9.) Resolve per *quod*. Lentulo gloriae fuit bene *tolerata* paupertas. Tac. Angebant Annibalem Sicilia, Sardiniaque amissae. Liv. Hannonem poenitebat belli *suscepti* adversus Romanos. Liv. Lacedaemoniis nulla res tanto erat damno, quam disciplina Licurgi *sublata*. Idem. Consulatui Ciceronis non mediocre adiecit decus, *natus* eo anno divus Augustus. Vell. Annibal Decium Carthaginem misit, ne senatum poeniteret *dediti* principis. Liv. Multis illustribus dedecori fuit inconsultius uxor *assumta*. Plin.

Nota. **Participia futura in *rus* et *dus* adhibentur loco coniunctionis *ut*, in causa rei declarandae. Itaque**

10.) Resolve per *ut*. Alexander ad Jovem Hammonem pergit *consulturus*, et de eventu futurorum et de origine sua. Just. Alexander vestem detraxit corpori, *proiecturus* semet in flumen. Curt. Alexander ex omnibus provinciis triginta millia iuniorum legi iussit, et ad se perduci, obsides simul *habiturus* et milites. Idem. Alexander Hephaestionem in regionem Ba-

ctrianam misit, commeatus in hiemem *paraturum*. Idem. Conon muros dirutos a Lysandro *reficiendos* curavit. Nep. *Vide de ratione variandi supinum in um nota* 3. *et de Synt. Infinit. VI. Not.* 1. *pag.* 189.

Nota 2. *Ablativi consequentiae* Grammaticis dicti, quorum nempe alter participii, alter nominis est, possunt resolvi per Nominativum et verbi coniunctivum cum particulis *quum*, *dum*, *postquam*, *si*, *quia*, *etsi*, *simul ac etc.*, *e. g.*

1.) Per *quum*. Pythagoras *Tarquinio Superbo regnante* in Italiam venit. Cic. *Defuncto Traiano* Hadrianus creatus est princeps. Eutr. Pompejus, *captis Hierosolymis* victor, ex illo fano nihil attigit. Cicero. Thrasybulus a barbaris, ex oppido nocte *eruptione facta*, in tabernaculo interfectus est. Nep.

2.) Per *dum*. Tribus hastis iugum fit, humi *fixis duabus*, superque eas, *transversa una deligata*. Liv. Anno tercentesimo altero, quam condita Roma erat, iterum mutatur forma civitatis: a Consulibus ad decemviros *translato imperio*. Idem.

3.) Per *postquam*. Aeneas, *Troja* a Graecis *expugnata*, Italiam venit. Just. Bruti virtute, *regibus exterminatis*, libertas in republica constituta est. Cic. Victus Sardanapalus in regiam se recepit, et *exstructa*, *incensaque pyra*; et se, et divitias suas in incendium mittit. Just. Annibal in Italiam pervenit, quinto decimo die, *alpibus superatis*.

4.) Per *si*. *Reluctante natura*, irritus labor est. Sen. *Amisso rege*, totum dilabitur examen apum. Id. Maximas virtutes iacere omnes necesse est, *voluptate dominante*. Cic. *Pietate* adversus Deum *sublata*, fides etiam et societas humani generis tollitur, Idem. Quod magnificum referente alio fuisset, *ipso*, qui gesserat; *recensente* vanescit. Plin.

5.) Per *quia*. Romani veteres regnare omnes volebant: libertatis *dulcedine* nondum *experta*. Livius. Hostes non prius sunt visi, *obiectis* ab ea parte *silvis*, quam castris appropinguarent. Caes. Eclipses non ubique cernuntur, aliquando propter nubila; saepius *globo* terrae *obstante*. Plin.

6.) Per *etsi*. *Omnibus rebus ereptis*, superest animus et corpus. Cic. *Perditis rebus omnibus*, ipsa virtus se sustentare posse videtur. Idem. Fabricius solicitari non poterat, ut ad Pyrrhum transiret, *quarta parte* regni *promissa*. Eutr. Concitato navigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum, *intermisso impetu, pulsuque* remorum. Cic.

7.) Per *simul ac*. Medici *causa* morbi *inventa*, curationem esse inventam putant Cic. In corpore perspicuum est *animo elapso*, nullum residere sensum. Idem. *Caritate*, *benevolentiaque sublata*, omnis est e vita sublata iucunditas. Idem. Ut necesse est, lancem in libra, *ponderibus impositis*, deprimi, sic animum perspicuis cedere. Idem.

Nota 3. Saepe participii Ablativus deest, atque ex verbo *sum* suppleri debet; e. g. *Natura duce* errari nullo modo potest. Cic. Quod *Deo teste* promiseris, id tenendum est. Idem. Sapientia est una, qua *praeceptrice* in tranquilitate vivi potest. Idem. Natus est Augustus *Cicerone et Antonio Consulibus*. Svet. Galba orator, *pueris nobis*, magno in honore erat. Idem. *Sereno quoque coelo* aliquando tonat. Sen. Emerge ad meliorem vitam *propitio Deo*. Sen. *Parvis* adhuc *Romanis rebus*, magna tamen in re militari virtus erat. Eutr.

§. III.

De recto participiorum usu, et brevi ac tuta methodo Ablativum absolutum rite struendi, uti et particulas: *postquam*, *dum* etc., nec non coniunctionem *et* omittendi.

Quae regulae de recto participiorum usu et methodo Ablativum absolutum rite struendi, atque particulas postquam, dum *etc., nec non coniunctionem* et *omittendi observandae?*

I. Semper duae enunciationes (constructiones) adesse debent, per relativum *qui*, vel per particulas *cum, dum, si, postquam, quia, etsi, et* etc., quae itidem per *qui* quodammodo explicari possint, connexae. Enunciatio, quae eiusmodi particulam continet, *secun-*

daria, altera *primaria* seu *principalis* dicitur; illam, in qua parti ulae *postquam*, *cum*, *dum* etc. reperiuntur, nonnulli vocant *coniunctivam*, quae vero coniunctivae adhaeret, *subiunctivam*. Quamquam iam haec, iam illa praeponatur: idem enim est, si dicas: *dum calet ferrum, tundendum est*, ac: *tundendum est ferum, dum calet.*

II. In enunciatione *primaria* seu *principali* (subiunctiva) interdum nihil e *secundaria* (coniunctiva) interdum vero *rectus*, seu Nominativus, vel *obliquus*, seu alius casus per pronomina: *hic*, *iste*, *ille*, *ipse*, *is*, *idem etc.* aperte posita vel tacite intel'ecta repetitur, ut in hac: *dum sol appropinquat*, *stellae fugiunt: dum opprimitur respublica*, *nihil est*, *quod speremus amplius*, nihil repetitur. At in hac: *dum Petrus legit*, *eum turbas*, per pronomen *eum* repetitur Nominativus.

III. Particula *postquam*, *cum*, *si* etc. abiicitur, et verbum enunciationis secundariae in participium eiusdem temporis, quod verbum exprimebat, convertitur.

IV. Tum videndum, utrum ambae enunciationes unum subiectum commune habeant, an diversum: seu quod idem est: utrum, in enunciatione primaria, e secundaria casus aliquis per dicta superius pronomina repetatur, an vero nihil repetatur.

V. Si in enunciatione primaria e secundaria nihil repetatur, ac proinde utraque enunciatio diversum habeat subiectum, participium cum subiecto suo, seu Nominativo in Ablativum ponitur, qui *absolu'us vel consequentiae* nominatur. e. g. *Quum Tarquinius Superbus regnaret*, *Pythagoras in Italiam venit*. Hic sunt binae enunciationes, per par icu'am *quum* connexae. Secundaria haec enunciatio habet suum subiectum seu Nominativum, *Tarquinius*, diversum prorsus a subiecto primariae enunciationis, nempe *Pythagoras*: proinde participium cum subiecto suo in Ablativum poni debet: *Tarquinio regnante etc. Fabricius*, *quum medicus Pyrrhi promitteret*, *venenum se regi daturum*, *monuit Pyrrhum*, *caveret insidias*; hic coniunctiva seu secundaria enunciatio est: *quum medicus Pyrrhi pro-*

mitteret, habet proprium subiectum independens a subiecto primariae enunciationis: *Fabricius monuit Pyrrhum;* igitur participium una cum subiecto suo ablativo *consequentiae* efferendum: Fabricius, *medico* Pyrrhi *promittente*, venenum se regi daturum, monuit Pyrrhum, caveret insidias. Sen. Sic: Graeci Thermopylas, *quum advenirent Persae*, occupavere. Just. *Advenientibus Persis etc. Quum Trajanus defunctus fuisset*, Aelius Hadrianus creatus est princeps. Eutr. *Trajano defuncto* etc. Dionysium in orientem praemisit Augustus, *dum* in Armeniam *major filius iturus esset*. Plin. *Ituro* in Armeniam *majore filio* etc. *Si voluptas dominatur*, maximas virtutes iacere omnes necesse est. Cic. *Voluptate dominante* etc. Quaenam solicitudo vexaret impios, *si tollitur* suppliciorum *metus? Sublato* suppliciorum *metu*. *Cic.*

VI. In hac particularum *postquam*, *dum*, *si* etc. omissione, Ablativumque absolutum rite struendi ratione, praecipua esse solet difficultas in verbi enunciationis secundariae, in participium eiusdem temporis, quod verbum exprimebat, conversione: neque enim verbum semper poni debet, aut potest in eo tempore, in quo ante fuit. Hanc in rem sequentes duas generales nonnulli statuunt regulas:

1.) Quoties particulae: *dum, cum, quum* etc. in enunciatione secundaria occurrunt cum subiecto quidpiam agente, in earum omissione, verbum cuiuscunque antea temporis fuerit, convertitur in *participium temporis praesentis;* quodsi vero verbum passive significet, *participio praeteriti temporis utendum e. g.*

Dum sol	appropinquat appropinquabat appropinquavit appropinquabit	Sole appropinquante	fugiunt fugiebant fugerunt fugient	Stellae.

Te *veniente die*, te *decedente* canebat.

Nota 1.) Aliqui in hac verbi finiti in conveniens participium commutatione consi lerandu a esse praecipiunt, an

enunciatio secundaria fiat *ante* primariam, vel *simul* eodem tempore, vel *post* illam; si *ante* semper fiet participium praeteriti; si simul, participium praesens; si *post*, participium futuri; e. g. *Postquam urbs capietur*, militibus remeare licebit. Quia significatum secundariae nempe *capi urbem*, prius fieri debet, quam significatum primariae, nempe *remeare;* dicendum erit: *capta urbe*, militibus remeare licebit. *Si omnes expellentur*, tu non supereris. *Omnibus expulsis* etc. Non dubito, quin *dum has literas legeris*, res confecta futura sit, dicendum erit: non dubito, quin *te has literas legente* (non lecturo) res confecta futura sit. Cic. Ad coelestia mentem elevemus, *quia mundus peribit;* dic: *mundo perituro* etc. non pereunte. Quodsi vero post futurum secundariae enunciationis, in primaria etiam futurum tempus aut imperativus sequatur, participio praesenti utendum erit; e. g. Scripta sapientum *quum leges*, sapiens *fies*, vel attentus *esto:* scripta sapientum *legens* etc. Croesus, *quum Halyn penetrabit* (*penetrans*) magnam *pervertet* opum vim. Cic. Nostra *quum leges* (*legens*) *utere* tuo iudicio. Cic.

Nota 2.) Quia per participium praeteriti recte saepe numero participium praesens exprimitur, in verbis passiva voce participio praeteriti temporis utendum erit; e. g. *Dum opprimitur respublica etc.*

Oppressa republica, nihil est, quod speremus amplius. Cic.

Nota 3.) Cum verba deponentia, significatione etiam activa, participio praeteriti temporis gaudeant: idcirco particulae: *postquam*, *dum*, *si* etc. eiusmodi verbis adnexae recte exmittuntur; e. g. *Postquam sol ortus est*, *erat*, *fuit*, *fuerat*, *orietur*, *fugerunt stellae;* dic: *Orto sole* fugerunt stellae.

2.) Particula *postquam* omissa, exigit semper *participium praeteriti temporis*, idcirco in voce activa vel non potest omitti; vel, si fieri potest, tempora activa prius in passivum commutanda sunt; E. g.:

Postquam leges	contemnuntur contemnebantur contemtae sunt, fuerunt, contemnentur,	Legibus contemtis,	periclitatur respublica.

Ne *cognita* filii *morte* animi debilitarentur militum. Nep. i. e. *postquam filii mors cognita esset etc. Hac re audita* in navim conscendit. Idem i. e. *postquam hanc rem audivit*, pass. *postquam haec res audita est.* Aeneas *Troja a Graecis expugnata*, in Italiam venit. Just. i. e. *postquam Graeci Trojam expugnaverant*; pass. *postquam a Graecis Troja expugnata est.*

Nota 1.) Quando verbum activum perfecti aut plusquamperfecti temporis suum Accusativum habet: tum Accusativus hic in Ablativo, verbum vero in participio praeteriti ponitur, seu quod idem est: constructio prius activa in passivum commutatur, ac tum Nominativus in Ablativum, verbum in participium praeteriti temporis venit; e. g. Thrasybulus a barbaris, *cum eruptionem* ex oppido noctu *fecissent*, in tabernaculo interfectus est. Nep. Pone Accusativum *eruptionem* in Ablativo et verbum praeteritum plusquamperfectum *fecissent*, in participio praeterito concordando cum Ablativo *eruptione facta*, seu converte primum in passivum, fiet: *cum eruptio facta esset*; deinde Nominativus in Ablativo *eruptione facta.* Pompeius, *cum Hierosolymas cepisset (captis Hierosolymis) victor*, ex illo fano nihil attigit. Cic. Annibal in Italiam pervenit, *postquam* quinto decimo die *alpes superaverat (alpibus superatis).* Liv. Non dubitavere Persae, quia *Issum reliquerant (Isso relicta)*, quam ceperant, Macedones fugerent. Curt. C. Flaminum Caelius, *quia religionem neglexerat (religione neglecta)*, cecidisse apud Thrasimenum scribit. Cic. Fabricius solicitari non poterat, ut ad Pyrrhum transiret, *etsi* ei *quartam* regni *partem promisisset (quarta parte promissa).* Eutr. Antonius, *postquam repudiaverat sororem (repudiata sorore)* Cae-

saris Augusti Octaviani, Cleopatram, reginam Aegypti, duxit uxorem. Eutr.

Nota 2.) Posset etiam secundaria seu coniunctiva enunciatio resolvi in participium praeteriti, praefixa praepositione *post*; e. g. Romulus *Numitore occiso* vel post *Numitorem occisum*, regem se fecit. Tertio anno, *post reges enectos*, Tarquinius Tusculum se contulit. Eutr. Diocletianus solus omnium, *post conditum imperium*, sponte ad privatae vitae statum remeavit. Eutr.

Nota 3.) Aliquando absolute ponitur participium praeteriti sine nomine; e. g. *Comperto*, qua hostes tenderent, castra movit. Talia sunt: *cognito*, *intellecto*, *viso*, *audito*, *nunciato* etc. Inde Consul ad Pulvinum est progressus, nondum *comperto*, quam regionem hostes petiissent. Liv. *Audito* castellum Luppiae obsideri, sex legiones eo duxit. Tacit. *Cognito*, quod insidiae parentur. Justin.

Nota 4.) Nonnunquam nomen tantum Ablativo absoluto effertur; e. g. Juxta *periculosos* ficta seu vera promeret. Tac. hoc est: *cum aeque periculosum esset* etc. Multi *incerto*, prae tenebris, quid aut peterent aut vitarent, foede interierunt. Liv. i. e. *cum incertum esset*.

Nota 5.) Quibuslibet verbis addi potest Ablativus absolute positus; e. g. Quae, *auctore te*, velle coepi, adiutore, assequar. Cic. Scripsi haec ad te, *apposita secunda mensa*. Idem. Ergo cautius posthac historiam, *te audiente*, attingam. Idem.

VII. Si utrique enunciationi tam *primariae*, quam *secundariae* subiectum commune sit; sive si in constructione *subiunctiva* et *coniunctiva* casus aliquis per pronomen repetatur; tum participium concordare debet cum substantivo vel pronomine, ad quod refertur, in numero, genere et casu. Hac in re sequenti progrediendum ratione: 1) praeponitur enunciatio primaria seu subiunctiva. 2) Pronomen secundariae seu coniunctivae mutatur in nomen intellectum. 3) Loco particularum: *postquam*, *dum*, *quia* etc. ponitur: *qui*, *quae*, *quod*, et construitur, sicut omissum relativum; e. g. *Postquam hostes fluvium transgressi sunt, eos cecidimus.* 1) Praeponito enunciationem primariam: *eos cecidimus.* 2) Loco pronominis *eos* ponito nomen intellectum, *ho-*

stes; 3) loco *postquam* fingito *qui*, *quae*, *quod*, fiet, *hostes cecidimus*, *qui fluvium transgressi sunt*; omisso relativo; *hostes cecidimus fluvium transgressos*; et quia verbum melius post participium seu ad finem constructionis ponitur: *hostes fluvium transgressos cecidimus*.

Sic: *Alexandro*, *quum* coelestes honores concupisceret, non deerat perniciosa adulatio, perpetuum malum regum. Curt. *Alexandro* coelestes honores *concupiscenti* etc. *Alexander quum* Persidis fines *aditurus esset*, Susa urbem Archelao tradidit. Curt. *Alexander* Persidis fines *aditurus etc. Alexandro quum* Susa *aditurus esset*, (adituro) Aulites, regionis eius praefectus, filium obviam misit. Curt. Alexander, quisnam esset? interrogat. Et ille, Clitum esse respondit. Haec *cum diceret*, latus *eius* (*dicentis latus*) hasta transfixit. Curt. Annibal *Grachum*, *postquam* in insidias *induxit*, (in insidias *inductum*) sustulit. Nep. *Mendaci homini*, ne verum quidem *quum dicit*, (*dicenti*) credere solemus. Cic. Darius *Charidenum*, *etsi* maxime utilia *suaderet* (*suadentem*) abstrahi iussit ad capitale supplicium. Curt.

Nota. Exempla, supra in resolutione participiorum allata, huc revocanda sunt.

VIII. Pronomen demonstrativum (*hic*, *iste*, *ille*, etc.) si ad istud relatio fiat, itidem abiicitur, e. gr. *Postquam* vix ingressus erat flumen Alexander, artus *eius* subito horrore rigere coeperunt; dices: *Alexandri*, *vix flumen ingressi*, artus subito horrore rigere coeperunt. Curt.

IX. Si quod verbum participio conveniente caret, omissio haec particularum, et verbi finiti in participium conversio locum habere non potest.

X. Verbum *sum*, participio praesentis et perfecti carens, etiam abiicitur, et si utraque enunciatio unum subiectum commune habet, tum praedicatum enunciationis concordat cum substantivo vel pronomine, ad quod refertur, in numero, genere et casu; si vero di-

versum, cum subiecto in Ablativo absolute ponitur, e. g. Si diligentior esses, plus tibi donarem. *Diligentiori tibi* etc. Si diligentior esses, forem liberalior. *Te diligentiore forem liberalior. Te futurum Consulem* omnes amabunt. *Te futuro Consule* urbs florebit.

Sic: Bellum Gallicum *C. Caesare Imperatore gestum est. Cic. Magnis auctoribus* Xerxes inflammasse templa Graeciae dicitur. Cic. Romani *Annibale vivo*, nunquam se sine insidiis futuros existimabant. Nep. Turpis est, qui *alto sole* semisomnis iacet, cuius vigilia medio die incipit. Sen.

Nota. Interdum loco *sum* verbum aliud adhibetur, ut: *Cum* Romae *essem*, mihi scriptum est. *Mihi* Romae *agenti*, *degenti*, *existenti*, *moranti*, *habitanti* scriptum est.

Schema.

Mutationem temporum in participia exhibens a verbo e. g. *laudo.*

Laudo — — — — }
Laudabam — — — — } Laudans.
Laudabo (*sequente futuro vel imperativo*) }

*) { Laudavi — — — }
*) { Laudaveram — — — } Laudatus
*) { Laudavero — — — }
*) { Laudaverim — — — }
Laudor — — — }
Laudabor — — — }
Laudatus sum, fui, — — }
eram, ero, fuero, etc. }

Laudabo (*solitarie*) }
Laudaturus sum, sim, etc. }
ut Laudem } Laudaturus
{ *vel* Laudarem } active**) }
{ *qui* }

{ *ut* Laudem }
{ *vel* Laudarem } }
{ *qui* Lauder } passive**) } Laudandus
Laudarer }

*) Haec tempora activa prius in passiva commutanda sunt.
**) Praesens et imperfectum activi coniunctivi cum *ut* vel *qui* (hogy, damit, um zu, aby) in participium futuri activi mutantur, cum nomen, vel pronomen, ad quod referuntur, aliquid agere vult, vel debet; si vero quid patiatur, aut eo quid fieri debeat, in participium futuri passivi, v. g. pro scribo, ut *iuventutem adiuvem*, dici potest: *scribo iuventutem adiuturus. Do tibi librum, ut eum legas*, dicitur: *do tibi librum legendum.*

CAPUT V.

De Syntaxi Praepositionum.

De praepositionum natura, significationibus, earum in *separabiles et inseparabiles* divisione, imo et de regimine: quia in compositione sententiarum usus illarum pueris maximus esse solet, in *Etymologia* iam actum est, hic nonnulla saltem, quae proprie ad Syntaxim pertinent, recolenda.

I. Verba absoluta, et intransitiva praepositionum beneficio in casus transeunt. Ex. gr. Cum *ad me* in Tusculanum venisset Caesar. Cic. Cum *in lecto* Crassus esset, et *apud eum* Sulpitius sederet, Antonius autem ambularet cum *Cotta in porticu*, Catullus *ad eum cum fratre* venit. Idem.

II. Transitiva, praeter proprium casum, etiam praepositiones cum suis casibus admittunt, e. g. Nihil est amabilius virtute, nihil, quod magis alliciat homines ad *diligendum*; quippe cum *propter virtutem, et probitatem* eos etiam, quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus. Cic.

III. Verba composita saepe casum suae praepositionis habent, ut: *adire iudicem; invadere urbem.* Persarum *Magos adiit.* Cic. Cum subito bonus imperator noctu *urbem* hostium *invasisset.* Idem.

Nota 1) Et repetita praepositione, ut: *adire ad iudicem; invadere in urbem.* Ceteri haeredes *adeunt ad Verrem.* Cic. *In Galliam invasit* Antonius. Imprimis au-

tem hanc repetitionem amant multa verba composita ex praepositionibus: *a*, *ab*, *ad*, *con*, *de*, *e*, *ex*, *in*, e. g. Tu velim *a me* animum parumper *avertas*. Cic. *Abduco* equidem me *ab omni* reipublicae *cura*. Idem.

Nota 2) Verbi *adspiro* elegans est usus, cum conatum quemdam aliquo perveniendi, atque alicuius rei adipiscendae significat, effectusque cum aliqua negatione, vel interrogatione, e. g. Ex bellica laude nemo *adspirare ad Africanum* potest. Cic. Quid enim quisquam *ad meam pecuniam*, me invito, *adspiret*. Cic.

IV. Praepositiones, quae Accusativum regunt, memoriae iuvandae causa his continentur versiculis:

Trans, *apud*, *adversus* quarto *iungantur et ante*,
Pone, *per*, *adversum*, *iuxta*, *prope*, *versus*, *et infra*,
Ad, *post*, *et circum*, *circa*, *cis*, *circiter*, *extra*,
Praeter, *ob*, *intra*, *ergo*, *citra*, *secus*, *usque*, *secundum*.
Et propter, *contra*, *supra*, *penes*, *inter*, *et ultra*.

e. g. Coelum, non animum mutant, qui *trans mare* currunt. Hor. Thebani accusantur *apud Amphictyonas*, id est: *apud commune* Graeciae consilium. Cic. Patrium habet Deus *adversus bonos viros* animum. Sen. Propone *ante oculos* Deum. Cic. Non queo, quod *pone me* est servare. Plaut. Longum iter est *per praecepta*, breve et efficax *per exempla*. Sen. Caesar *adversum Pompeium* dimicavit. Eutr. Virgae fiunt *iuxta solem* in nube. Sen. Condita Massalia est *prope ostia* Rhodani amnis. Iust. Medius amnis *meridiem versus* *) fluit. Curt. *Infra Saturnum* Iovis stella fertur. Cic. Pauci veniunt *ad senectutem*. Cic. Ianus bis *post* Numae *regnum* clausus fuit. Liv. Terra se *circum* axem convertit, et torquet. Cic. *Circa flumina*, et lacus

*) *Versus* casui suo postponitur, ut: discessi Arpinum versus, Megaram versus, orientem versus, Hungariam versus. Additur aliquando illi et alia praepositio; vel adverbium, unde apud Cic. *Ad alpes versus*. *In forum versus*. *Sursum versus*.

frequens nebula est. Sen. Graeci incoluere terras prius *cis Apenninum*, postea trans Apenninum. Liv. *Circiter meridiem.* Caes. *Circiter Calendas.* Cic. *Octavam circiter horam.* Hor. (licet nonnulli id adverbium, non praepositionem esse existiment.) Latrocinia apud Germanos nullam habent infamiam atque *extra fines* cuiusque civitatis fiunt. Caes. Infra lunam nihil est, nisi mortale, et caducum, *praeter animos* hominum. Cicero. Rari Cometae, et *ob hoc* mirabiles sunt. Sen. Optima beneficia sunt ea, quae *intra* tacitam duorum *conscientiam* latent. Sen. Religio est iustitia *erga Deum.* Cic. Sonus non est a postrema syllaba *citra tertiam.* Cic. *Secus fluvios et secus decursus* aquarum. Plin. *) *Miletum usque. Ter. Usque Puteolos. Cic. Usque ad summam senectutem.* Cic. **) *Secundum Deos* homines hominibus maxime utiles esse possunt. Cic. Legi divinae, et humanae omnes parebunt, qui *secundum naturam* volent vivere. Idem. *Mors propter incertos casus* quotidie imminet. Cic. Communis utilitatis derelictio *contra naturam est.* Cic. Carthago *Italiam contra.* Virg. Aen. **) *Supra lunam* sunt aeterna omnia. Cic. Eloquentia non modo eos ornat, *penes quos* est, sed etiam universam rempublicam. Cic. *Inter ignem et terram* aquam Deus animamque posuit. Cic. Augustus Germanos trans Albim fluvium submovit, qui longe *ultra Rhenum* est. Eutr.

---

*) *Secus* saepe numero adverbium est, et desiderat coniunctionem *ac*, *et atque* post se, e. g. Plancii ego salutem non *secus*, ac meam tueri debeo.

**) *Usque* nominibus urbium adiunctum sine alia praepositione iam praeponitur, iam postponitur, nominibus urbium, ut in exemplis citt. Aliis autem nominibus appellativis iunctum amat praepositionem *ad*, *in*, *sub* etc. adsciscere, e. g. *Usque ad* vel *in multam noctem*, *usque sub obscurum* noctis. *Trans* alpes *usque.* Etiam cum Abl., e. g. Siculo prospexit *ab usque Pachino*, *usque a Calendis.* Vetus opinio est, *ab heroicis usque* docta *temporibus.* Nimirum *usque* et tempori, et loco inservit, meliusque inter forte

adverbia temporis et loci refertur, quod variis praepositionibus iungitur, et interdum per ellipsim etiam intelligitur. Ut in hoc Sallustii: Nam quae ad hoc tempus Iugurtham tutata sunt.

***) *Anastrophe est*, cum praepositio praeter consuetudinem casui suo postponitur.

V. Praepositiones sequentes regunt Ablativum:

Abs, *ab*, et *a* poscunt, *cum clam*, sibi sumere sextum,
Et *tenus*, atque *palam*, *procul*, *absque*, fruuntur eodem,
Ex, *e*, *de*, *coram*, *pro*, *prae*, *sine*, ponitur apte
Post patrium ferme numero *tenus* una secundo.

E. g. *Abs te* peto, ut mihi ignoscas. Cic. Sidera *ab ortu* ad occasum commeant. Cic. Prima adolescentis commendatio proficiscitur a *modestia*. Cic. *) Pariter *cum* vita sensus amittitur. Cic. **) *Clam iis* eam vidi Terent. ***) Capulo *tenus* abdidit ensem. Virg. ****) Rem creditori *palam* populo *solvit*. Liv. Haud *procul occasu* solis redeundi in castra tempus erat. Idem. *****) *Absque notitia* Dei quae potest esse solida felicitas. Minut. F. *E vita* discedo, tanquam *ex hospitio*, non tamquam *e domo*. Cic. Usitatae res facile *e memoria* elabuntur, insignes et novae manent diutius, ad Heren. Pusillus est animus, qui *de ordine* mundi male existimat. Sen. Cantabit vacuus *coram latrone* viator. Iuv. Impudens est, qui *pro beneficio* non gratiam, verum mercedem postulat. Cic. *Prae iracundia* non sum apud me. Ter. Etiam *sine magistro* vitia discuntur.

---

*) *A* consonantibus praeponitur; *ab* vocalibus, et nonnullis etiam consonantibus, e. g. *Ab nullo* ille liberalius, quam a Cluentio tractatus est. Cic. Rex *ab* senatu appellatus est. Idem. Praecipue L. R. et I. praeponitur, ut *ab legatis*; *ab Romanis*; *ab Iove*. *Abs* praeponitur literae T. et interdum Q. *Abs quovis* homine beneficium accipere gratum est: Tor Historici, praecipue Livius liberius utuntur praepo-

sitione *ab*. *Ab classe*, *ab Carthagine*, *ab Dictatore*, *ab Numa*, *ab Gallis*, *ab Servio*, *ab Tarquiniis* etc. quae passim imitanda non videntur, nisi in historia.

**) *Cum* pronominibus, *me*, *te*, *se*, *nobis*, *vobis* postponitur, et penitus coalescit, nonnunquam et in his: *quocum*, *quicum*, *quibuscum*. E. g. Omnia mea porto *mecum*, inquit Bias. Cic. prope est a te Deus, *tecum* est. Sen. Difficulter reciduntur vitia, *quae nobiscum* creverunt. Sen. Saepe animus a se ipso dissidet, *secumque discordat*. Cic. Decorum movet adprobationem eorum, *quibuscum* vivitur. Cic.

***) *Clam* invenitur etiam cum Accusativo. E. g. *Clam patrem*. Ter. Bona multa faciam *clam meam hanc uxorem*. Plaut. Sed non videtur usurpandum.

****) *Tenus*, quemadmodum *versus* postponitur; ac fere patrium casum desiderat, si nomen sit multitudinis, e. g. Et *crurum tenus a* mento palearia pendent. Virg. Et Cepheus conditur ante *lumborum tenus*. Cic. Rumores illi de comitiis *Comarum tenus* caluerunt. Coel. ad Cic.

*****) *Palam et procul* inter adverbia potius aliqui, quam praepositiones, referunt. Cic. ad *procul* addit saepe praepositionem, ut procul *a nobis;* unde colligunt nonnulli, quando non additur, intelligi per ellipsim; et quia natura sua non requirat casum, potius adverbium esse, quam praepositionem. Interdum *procul* Accusativo etiam iunctum invenitur, ut: *Procul muros*. Liv. *Procul urbem*. Curt.

VI. *In*, *sub*, *super*, *et subter* modo Accusativum, modo Ablativum pro varia significatione postulant et quidem:

IN 1) Cum verbis motus Accusativum amat, e. g. Venio *in curiam* frequens. Cic. Proba vita via est *in coelum*, *et in coelum* eorum, qui iam vixerunt. Idem.

2) Pro *erga*, ut Brutus fuit pius in *patriam*, crudelis *in liberos*, *vel contra;* ut: petulanter *in uxorem*, *et filiam meam* invasisti. Cic. Vel *per* seu *pro*, ut commodare librum alicui *in diem*, *in mensem*. Crescit *in dies singulos* hostium numerus.

3) Cum vero quies, aut aliquid fieri in loco significatur, Ablativo gaudet. E. g. Deus intelligentiam *in animo*, animum conclusit *in corpore*. *Cic.* *In hac solitudine* careo omni colloquio. Idem. *In viridi*, *opacave ripa* inambulantes. Idem.

4) Cum ponitur pro *inter*. Hoc primum sentio, nisi *in bonis* amicitiam esse non posse. Cic.

SUB fere accusandi casum postulat.

1) Cum tempus adsignificat, pro *paulo ante*, *circiter*, *per*, *ut*: *sub vesperam*, *sub lucis ortum*, *sub idem tempus*. Pompeius *sub noctem* naves solvit, Caes. Sub equestris finem certaminis coorta est peditum pugna. Liv.

2) Pro *post*, e. g. Sub eas literas statim recitatae sunt tuae. Cic.

3) Cum verbis motus. E. g. Nisi ille *se sub scalas* tabernae librariae coniecisset. Cic. Rabiosi canes caudam *sub alvum* reflectunt. Plin.

4) At cum verbis quietis Ablativum poscit. E. g. Et, si quid cessare potes, requiesce *sub umbra*. Virg. *Sub nomine* pacis bellum latet. Cic. Saepe etiam *sub palliolo sordido* latet sapientia. Cic. Etiam *sub marmore* atque *auro* servitus habitat. Sen.

SUPER Accusativo servit, cum praepositioni *subter* contraria est, sive cum motu sit, ut: tegula *super caput* cecidit: sive cum quiete, ut: Demetrius *super tumulum* noluit quidquam satui. Cic. *Super aspidem* assidere. Idem. Talis est sapientis animus, qualis mundi flatus *super lunam*. Semper illic serenum est. Sen. Item cum significat *inter*, E. g. Circumferre merum iubet, debellaturus *super* mensam Alexandrum. Curt. Pro *praeter*, *e. g. Super cetera flagitia*. Svet. Pro *ultra*, ut *Super ripas* Tiberis effusus amnis. Liv.

Ablativo iungitur, cum pro *de* ponitur. E. g. *Hac super re* scribam ad te Rhegio. Cicero. Multa *super Priamo* rogitans, *super Hectore multa*. Virg. Item. cum est causale, e. g. *His* accensa *super*, i. e.

ob haec etc. Et interdum cum verbo quietis, maxime apud Poëtas. E. g. *Geminae super arbore* sidunt. Virg. *Fronde super viridi.* Idem. Qua tamen in significatione, sed rarius, Accusativo iunctum invenitur. E. gr. *Saeva* sedens *super arma.* Virg.

SUBTER ferme accusandi casum poscit, sive quietis, sive motus verbis adiungatur. Accusativum, e. g. Plato iram in pectore, cupiditatem *subter* praecordia locavit. Cic. Ablativum, e. g. Ferre libet *subter* densa testudine casus. Virgil. Qui casus apud Poëtas est usitatior: Oratores vero hac etiam significatione malunt Accusativum, e. gr. Deinde *subter mediam* fere *regionem* sol obtinet. Cic.

VII. Praepositio, cum casu suo privatur, in adverbium migrat. e. g. Tu adventare, ac *prope* iam adesse, debes. Cic. Multis *post* annis pecunia recuperata est. Idem. Sensibus et animo, quae *extra* sunt, percipimus. Idem. Quadriduo *ante* ad eum scripseram. Idem. Huius generis sunt: *Ante*, *contra*, *citra*, *circum*, *circiter*, *extra*, *infra*, *post*, *prope*, *pone*, *ultra*, *usque*, et aliae nonnullae.

Nota. Praepositiones nonnunquam aliis praepositionibus praeponuntur, retenta sua significatione, e. g. De Q. Fratre nuncii nobis, tristes fuerunt *exante* diem Nonas Iunias. Cic. Dies futurus *ineunte* XII. Calend. Nov. Idem. *Desub* Alpibus. Flor.

CAPUT VI.

De Syntaxi Adverbiorum.

De hac quoque sexta orationis parte, inprimis vero de Adverbiorum variis generibus, et significationibus in Etymologia pluribus actum est; quae huc referuntur, fere ad sequentia reduci possunt:

1) De casibus, quos diversa adverbia regunt.
2) De adverbiorum constructione cum certo verbi modo.
3) De certis comparationum gradibus in constructione adverbiorum usitatis.

§ I.

De casibus post quaedam Adverbia.

Quos casus regunt Adverbia?

I. *En*, *Ecce* NOMINATIVUM, vel ACCUSATIVUM admittunt, e. g. *En crimen, en causa. Cic. Ecce nova turba. Cic. En quatuor aras. Virg. Ecce miserum hominem. Cic. En tectum, en tegulas, en obductas fores.* Plaut.

Nota 1) Adverbio *ecce* apponitur et Dativus (*tibi*) non sine lepore, e. g. Cum haec maxime scriberem, *ecce tibi* Sebosus. Cic. *Ecce tibi*, qui rex populi Romani dominusque omnium gentium esse concupierit. Cic.

Nota 2) Eodem modo et *Hem* usurpatur, quum demonstrandi vim habet. E. g. *Hem* Davum *tibi*. Ter.

II. GENITIVUM postulant adverbia sequentia:

1) *Satis*, *abunde*, *affatim*, *parum*, *nimis*, *instar*, *partim*, *ergo*, pro causa: e. g. Simon habebat *satis eloquentiae*. Nep. *Sat* habet *fautorum* semper, qui recte facit. Plaut. Crassus in summa comitate habebat etiam *severitatis satis*. Cic. Caesar dicebat, se *potentiae*, gloriaeque *abunde* adeptum. Svet. Pompeii actio non satis commendabat orationem. In hac enim *satis* erat *copiae*, in illa autem *leporis parum*. Cic. Multis in locis *parum* firmamenti, *parum virium* veritas habet. Cic. *Affatim est hominum*, quibus negotii nihil est. Plaut. Nimis *insidiarum*, adhibere videtur. Cic. Plato mihi *instar* *) est *omnium*. Cic. *Eorum partim* in pompa, *partim* in acie illustres esse voluerunt. Cic. *Victoriae navalis ergo* in unum diem supplicatio decreta est. Liv.

2) Adverbia a superlativis orta, e. g. *Maxime omnium nobilium* Graecis literis studuit. Cic. Saepissime audio, illum *omnium* fere oratorum latine loqui *elegantissime*. Cic.

---

*) De *instar* et *ergo* vide etiam in Syntaxi nominum de Genitivo. §. I. pag. 60.

Nota. Genitivus hic in Ablativum cum praepositione migrare potest, e. g. Piso *maxime ex omnibus*, qui ante fuerunt, Graecis doctrinis eruditus. Cic.

3) Adverbia loci: *Ubi*, *ubinam*, *ubicunque*, *ubivis*, *quovis*, *quoquo*, *aliquo*, *nusquam*, *usquam* Genitivos *terrarum*, et gentium: adverbia autem, *eo*, *hic*, *hoc*, etiam aliorum substantivorum Genitivos admittunt, e. gr. *Ubi terrarum* sumus. Cic. *Ubinam gentium* sumus. Idem. Poëta quaerit, quod *nusquam* est *gentium*. Plaut *Ubicunque terrarum*, et *gentium* ius civium violatum est, id pertinet ad communem causam libertatis, et dignitatis. Cic. Non Hercle *quo* hinc nunc *gentium* aufugiam, scio. Plaut. Maximum honorem Lycurgus senum esse voluit; nec sane *usquam terrarum* locum honoratiorem senectus habet, quam Lacedaemone. Iust. Gallorum legati dixerunt: se se tacitos abire, *quo terrarum* possent, in animo habuisse. Liv. Rhodum aut *aliquo terrarum* migrandum est. Cic. Vidi quandam virginem *hic viciniae*. Idem. Taesarinas *huc arrogantiae* venerat, ut legatos ad Tiberium mitteret, et bellum minitaretur. Tacit. Populus Romanus eo *magnitudinis* crevit, ut viribus suis conficeretur. Flor. *Eo deliciarum* pervenimus, ut gemmas calcare nolimus. Sen. Quidam vix sibi temperant, quin *eo* usque *impudentiae* provehantur, ut naturam oderint, quod infra Deum sumus. Sen.

Nota 1) Dicitur etiam *longe gentium*, e. g. Tu *longe gentium* abes. Ter.

Nota 2) Huc spectant *tunc*, *et tum*, cum Genitivo *temporis*, e. gr. Persarum gens *tunc temporis* obscura erat. Iust. Civitas Annibalem, *tum temporis* consulem, in foro exspectabat. Iust.

4) *Pridie*, *et postridie* et Genitivum et Accusativum petunt. E. g. *Pridie eius diei* venit. Cic. *Pridie nonas* Iunii, cum essem Brundusii etc. Cic. *Postridie eius diei*, Caesar praesidii utrisque castris, quod satis visum est, reliquit. Caes. *Postridie ludos Apollinares*. Cic.

Nota 1) *Pridie*, *et postridie* natura sua Genitivum tantum petunt: si cum Accusativo legantur, intelligitur *ante*, *vel post*. Sic dum dicimus: *pridie calendas*, idem est, ac *priori die ante Calendas*. *Tertio nonas Ianuarii*; *septimo Calendas Septembres*, quasi *die tertio ante Nonas*, *die septimo ante Calendas*.

Nota 2) Ad haec admittunt verbum cum particula *quam*, ut: *pridie*, *quam excessit e vita*. *Postridie intellexi*, *quam a vobis discessi*. Caesar, *pridie quam* occideretur, in sermone nato super coenam, quisnam vitae esset finis commodissimus, repentinum, inopinatumque praetulit. Svet. Andricus *postridie* ad me venit, *quam* exspectarem. Cic.

III. Quaedam DANDI casum postulant more eorum, unde deducuntur, ut: *congruenter*, *convenienter obvium*, *etc.* a *congruo*, *convenio*, *obvio*, e. g. Quid *convenienter rationi* possit dicere. Cic. Caesari ex Hispania *redeunti obviam* quam longissime processistis. Cic.

IV. *Propius*, *proxime*, ACCUSANDI casum exigunt. e. g. Castra *propius urbem* moventur. Cic. Operam dat, ut cum suis quam *proxime Italiam* sit. Idem. Ipse *propius montem* cum omni equitatu suos collocat. Sall. Quod vitium *propius virtutem* erat. Idem. Cum *propius* iam *blanditias* oratio esset, quam *preces*. Liv. Erat rex *proxime speciem* muros oppugnantium. Idem. Officium meum esse putavi, exercitum habere quam *proxime hostem*. Cic.

Nota. Iungitur *propius* nonnunquam cum praepositione *a vel ab*, e. g. Stellae aliae *propius a terris* moventur, aliae remotius. Cic.

V. ABLATIVUM postulat:

1) *Abhinc* verbis praeteriti temporis iunctum. E. g. Roscius litem decidit, *abhinc* annis quatuor. Cic. Pro Cornificio *abhinc annis* quinque et viginti spopondit Flavius. Cic.

Nota. Saepissime etiam iungitur Accusativo eadem significatione, e. g. Demosthenes, qui *abhinc annos* prope trecentos fuit etc. Cic. Imperium ab Assyriis translatum est ad Medos, *abhinc annos* ferme *septuaginta*, Vell.

2) Comparativa quoque adverbia Ablativo gaudent. E. gr. *Amplius opinione* morabatur. Sall. *Lacryma* nihil *citius* arescit. Cic. Quisquis *plus iusto* non sapit, ille sapit. Mart. Nemo est, qui sapientius tibi suadere possit, *te ipso*. Cic. Annos sexaginta natus es, aut *plus eo*, ut coniicio. Terent. Cave putes *plus me* quemquam cruciari. Cic. *Minus quinquennio*, quod prodiere. Plin. Pugnatum *amplius duabus horis est*. Liv.

Nota 1) *Plus*, *amplius*, *minus* saepe etiam absolute sine casu ponuntur subaudita coniunctione *quam* ad Accusativum, vel nominativum, e. g. *Accus. Ancillas* secum abduxit *plus* decem. Ter. i. e. *plures quam decem.* Homini misero *plus quingentos colaphos* infregit. Ter. Quum non *amplius octingentos equos* haberent. Caes. Nunquam nix *minus quatuor pedes* alta iacuit. Liv. i. e. *pauciores*, *quam etc. Nominat. Plus duo millia* hostium eo die caesa traduntur: Romanorum *minus quadringenti*. Liv. Vulnerantur *amplius sexcenti*. Caes. Naves *amplius octingentae* uno erant visae tempore. Caes.

Nota 2) Cum iisdem adverbiis iunguntur Accusativus, et Ablativus casus *Mensuram* significantes, tunc vero casus sunt communes e. g. Ita a pariete distent, ut ne *plus* pateant *palmum*. Vitruv. Aberat eorum acies paulo *plus quingentos passus*. Liv. *Millibus amplius quingentis* in locum patent. Caes.

§. II.

De Adverbiorum constructione cum certo verbi modo, et tempore.

Quae regulae de adverbiorum quorundam constructione cum certo verbi modo, et tempore?

I. *Dum* de re praesenti adhuc in actu, sed nondum perfecta, *Indicativo* iungitur, sequente fere voce *interea*. e. g. *Dum apparatur*, virgo in conclavi sedet. Ter. *Interea dum* sermones *caedimus*. Idem. Haec *dum* mecum *reputo*, accersitur *interea*. Cic.

Nota 1) *Dum*, *donec et quoad* pro *quamdiu* etiam Indicativis iunguntur. E. g. Si in hoc erro, quod animos

hominum immortales esse credam, lubenter erro; nec mihi hunc errorem, quo delector, *dum vivo* extorqueri volo. Cic. Lacedaemoniorum gens fortis fuit, *dum* Lycurgi leges *vigebant*. Cic. *Donec eris* felix, multos numerabis amicos. Ovid. Cato *quoad* vixit, virtutum laude crevit. Nep. Atticus, quae ipse tribuerat beneficia, tamdiu meminerat, *quoad* ille gratus erat, qui acceperat. Nep.

Nota 2) *Dum*, *et donec* pro *usquedum*, (addig, míg, so lange, bis, dokavádz, dokud) modo *Indicativum*, modo *Coniunctivum* adsciscunt, prout sententia est finita, vel infinita, e. g. Cum *Ind.* Tityre, *dum redeo*, brevis est via, pasce capellas. Virg. Retine Phormionem, *dum* huc ego servos *evocc.* Ter. Iul. Caesar exanimis aliquandiu iacuit, *donec* lecticae impositum tres servuli domum retulerunt. Cum *Coniunct.* Iratis subtrahendi sunt ii, in quos impetum conantur facere, *dum* se ipsi *colligant*, aut rogandi, orandique sunt, ut si quam habent ulciscendi vim, differant, *dum defervescat* ira. Cic. Coquas, *donec ea* aqua, quam adieceris, *decocta sit.* Colum. Coniunctivum etiam exigit, quum *dum* potentiale est, ex. gr. *dum prosim* tibi. Ter.

Nota 3) *Dum* pro *quando* (midőn, indem, když) etiam retinet Indicativum, e. g. Epaminondas, *dum* non ducis tantum, verum etiam fortissimi militis officio *fungitur*, graviter vulneratur. Iust.

Nota 4) *Quoad* habet etiam Indicativum, et Coniunctivum, prout sententia est finita vel infinita, e. g. *Quoad fuit* in urbe, eius consiliis obstiti. Cic. Ut *quoad possem, et liceret*, a senis latere nunquam discederem. Cic. Epaminondas ferrum in corpore retinuit, *quoad renunciatum est*, vicisse Boeotios, Nep. Herba cum crescere desiit, et aestu arescit, subsecari falcibus debet, et *quoad perarescat*, furcillis versari. Varro.

Nota 5) *Quoad* etiam interrogative cum *Indicativo* iungitur, e. g. Senem, *quoad* exspectas vestrum? Ter.

Nota 6) In significatione autem pro usquedum de re futura, habet *coniunctivum.* E. g. Omnia ut integra servem, dabo operam, *quoad* exercitus huc *submittatis.* Cicero.

II. *Dudum pridem*, et *nuper Indicat. praeteritis* verborum iungi postulant. E. g. Narro huic, quae tu *dudum narrasti* mihi. *Pridem vidimus* eadem. Plin. *Nuper* disserere *coeperunt*. Cic.

Nota 1) *Dudum*, et *nuper* tamen, quando de actione dudum, aut pridem quidem incepta, nondum autem finita sermo est, etiam *praesens Indicat.* admittunt, e. g. *Dudum circumrodo*, quod devorandum est. Cic. Quamquam haec inter nos nuper notitia admodum *est*. Terent.

Nota 2) Sic etiam *iamdudum*, *iampridem*, *iamdiu*, *Indicat. praesens* adsciscunt, quando adhuc durat actio; *praeteritum* autem, quando cessasse intelligitur, e. g. *Praet. Iamdudum* animus *est* in patinis. Ter. *Iampridem cupio* Alexandriam visere. Cic. *Iamdiu* haec *tractantur* a Graecis. *Praet. Iamdudum* tibi *adversabar*. Plaut. *Iam pridem intellexisti* voluntatem meam. Cicero. Conventus *iamdiu fieri desierunt*. *Cic*.

III. *Ut* pro *Postquam Indicativum* petit, e. g. *Ut* ab urbe *discessi*, nullum praetermisi diem, quin aliquid ad te literarum darem. Cic. Item pro *quomodo* cum quadam admiratione, e. g. Cn. noster (o rem miseram et incredibilem!) *ut* totus *iacet!* Cic. *Ut* falsus *est* animi! Ter. *Ut* saepe summa ingenia in occulto *latent!* Plaut.

Nota 1) *Ut* quando sumitur pro *quomodo* infinite, habet coniunctivum, e. g. Cernis, *ut* ignavum *corrumpant* otia corpus; *ut capiant* vitium, ni moveantur aquae. Ovidius.

Nota 2) Interdum *ut* simpliciter similitudinem designat. E. g. *Ut* sementem feceris, ita *metes*. Cic.

Nota 3) Huc pertinent adverbia, *quasi*, *ceu*, *tanquam*, *perinde*, quae quando *simulationem* *) significant, coniunctivum post se habent, e. g. Sic eas exponam, *quasi agatur* res, non narretur. Cic. *Quasivero*, paulum intersit. Terent. *Ceu* vero *nesciam*, adversus Theophrastum scripsisse etiam feminam. Plin. *Tanquam* feceris ipse aliquid. Iuv. *Perinde* ac suis satisfacere, et fraudata restituere *vellent*. Caes.

Quando autem *similitudinem* **) notant, Indicativum post se admittunt. E. g. Fuit olim, *quasi ego sum*

senex; et ei filiae duae erant, *quasi* nunc meae *sunt*. Eae erant nuptae duobus fratribus, et *quasi* nunc *sunt* meae vobis. Plaut. *Ceu* quodam turbine venti *confligunt*. Virg. *Tanquam* Philosophorum *habent* Disciplinae ex ipsis vocabula. Terent. *Perinde* asperiores *erunt*, prout oris hiatu simili, aut diverso pronunciabuntur. Quintil. Haec ipsa omnia *perinde sunt*, ut aguntur. Cic.

*) **) In *simulatione* res eadem diverse consideratur; in *similitudine* vero rerum diversarum convenientia innuitur; praeterea quando memorata adverbia simulationis notam habent, plerumque alia vocabula adsciscunt, e. g. *quasi vero*, *quasi uti*, *ceu vero*, *tamquam si*, *perinde atque si*, *perinde atque perinde, ac si*, *perinde tanquam*, *perinde quasi*, *perinde ut*; in similitudine vero omitti illa solent. Qui olim a puero parvulo mihi paedagogus fuerat, *quasi* ut mihi *foret* custos. Plaut. *Tamquam si* sua res agatur.

IV. *Antequam*, *et priusquam* Indicativo, et Coniunctivis iungitur. E. g. Experiri omnia certum est, *antequam pereo*. Ter. *Antequam* pro Muraena dicere instituo, pro me ipso pauca dicam. Cic. *Antequam* de incommodis Siciliae *dico*, pauca mihi videntur de provinciae dignitate dicenda esse. Cic. *Priusquam* de republica dicere *incipio*, *priusquam de ceteris* rebus *respondeo*, de amicitia pauca dicam. Cic. Cum *Coniunct.* *Antequam* de republica P. C. *dicam* ea quae dicenda hoc tempore arbitror. Cic. *Priusquam* hoc tantum mali *videro*. Cicer. *Priusquam incipias*, consulto, ubi consulueris, mature facto opus est. Sallust.

V. Formulae efferendi adverbialiter tempus relativum sive *instanti*, sive de *duratione*, sequente verbo indicativi vel coniunctivi modi, haec fere sunt:

a) De instanti, (mihelyt, mihelyest, sobald, gaknahle)

Simul, simul ut
Simul ac
Simul atque }

Simul ac *Simul atque* *Simul*	*statim* *illico* *continuo* *confestim*
Statim	*simul ac* *simul atque*

E. g.

Omne animal, *simul ut ortum est*, et se ipsum, et omnes partes suas diligit. Cic. *Simul atque audivero*, scribam ad te. Cic. *Simul ut experrecti sumus*, visa in somno contemnimus. Cic.

b) De duratione (a meddig; valameddig; so lange bis; tak dluho, až dotud.

Tantisper	*dum* *quoad*
Usque	*dum* *donec* *quoad*
Tamdiu	*dum* *donec* *quam* *quamdiu* *quoad*
Usque adeo	*dum* *donec* *quoad*
Usque ad	*quamdiu* *quoad*
Per aliquot dies etc	*quoad*

E. g.

Ego te meum *tantisper* esse volo, *dum*, quam te dignum est, facis. Ter. Mihi quidem *usque* cura erit, quid agas, *dum*, quod egeris, sciero. Cic. Rogo, *quoad* eris Romae, tu ut satis des. Cic. *Differam per aliquot dies*, *quoad* vires *colligam. Cic.*

VI. *Age, agite, agedum*, imperativo vel coniunctivo gaudent, rarius tamen tertiae personae, e. g. Eia, *age*, rumpe moras. Virg. *Age* nunc iter expediti latronis, cum Milonis impedimentis *conferte*. Cicero. Quare *agite* o iuvenes, tectis *succedite* nostris. Virg. *Agedum* hoc mihi *expedi* primum. Ter. *Age* ista divina studia *omittamus*. Cic. *Procedat agedum* ad pugnam. Liv.

Nota 1) *Age* interdum etiam ponitur cum prima persona indicativi; e. g. *Age* vero *laudo* aliquem; num offendo? *Age veniam.* Ter.

Nota 2) Non dicimus: *age autem*, sed *age vero*, *age sane*, *age porro*, *age nnuc*, *age iam*, *agite vero*. *Age sane* affirmandi vim habet, ut *licet*. Ex. gr. Incaluerunt vino, *age sane*, omnes citatis equis advolant Romam, Liv.

Nota 3) *Age*, *agedum* non tantum cum singulari, sed et cum plurali iunguntur; *agite*, autem semper cum plurali. E. g. *Age* nunc, ex ipsius Chrisogoni iudicio Roscii factum *consideremus*. Cic. Agedum *conferte* nunc cum illius vitam. P. Sullae. Cic.

VII. *Non* adverbium negandi omnibus modis, et personis iungi potest, praeterquam imperativo secundae personae, ut: *non facio*; *non fecit*, *non faciam*; *quae non faciatis*; *non fecistis*; *non facerem*; *si non fecero*; cave vero dixeris: *non fac*, *non facite*, *pro ne fac*, *ne facite*.

Nota 1) *Non* est pure particula negativa: *ne* vero prohibitiva, qua cum imperativo vel coniunctivo utendum, e. gr. Quaeso, animum *ne desponde*. Plaut. Tu *ne cedo* malis, sed contra audentior ito. Virg. Impius *ne audeto* placare donis iram Deorum. Cic. *Ne tentes*, quod effici non possit. Quint. *Ne* tot annorum felicitatem in unius horae *dederis* discrimen.

Nota 2) *Nae*, hoc est *profecto*, fere pronomini praeponitur, et indicativum vel coniunctivum modum poscit, e. g. *Nae ego* homo *sum* infelix. Ter. *Nae tu*, si id fecisses, melius famae tuae *cousuluisses*. Cic. *Nae ille* vir sapiens laetius ex his tenebris in lucem illam *excesserit*. Cic.

Nota 3) Haud alienum videtur hoc loco monere tirones, in quo saepius aberrant, quomodo interrogantibus respondeant Latini tam adfirmando, quam negando.

a) Adfirmantes illa in vernaculis linguis: igen, igenis, úgy vagyon, valósággal; ja, ano, y welmy reddunt 1) per *ita*, *ita est*, *sane*, *etiam*, *vero*; vel 2) repetendo illud vocabulum, de quo quaeritur; e. g. *Omnes condiscipuli iam adsunt? Ita. Permittisne, ut ludam? Sane. Iamne repetivisti lectionem? Etiam. Num facies, quae rogo? Ego vero, ac lubens. Fuistine hodie in schola? Fui* (pro quo perperam vulgo nonnulli dicunt: *omnino.*) *Num tuus liber est? Meus. Hodie igitur pater tuus redit? Hodie. Num bene valet?* Bene. etc.

b) Negantes vernacula nem, nein, ne, nikoli exprimunt: 1) vel per simplices negationes; 2) vel repetendo verbum, addita negatione; 3) vel per *imo* addendo contrarium. E. g. *An ova parit anguilla, ut ceteri pisces? Non. Potesne dicere, quid sit animus? non possum. Visne, (ut) desinam legere? Imo perge.*

§. III.

De certis comparationum gradibus in constructione adverbiorum usitatis.

Quae observationes in constructione quorumdam adverbiorum quoad comparationum gradus?

I. *Per*, *perquam*, *sane*, *valde*, *oppido*, *inprimis*, *cumprimis*, *apprime*, *admodum*, *vehementer*, *et alia* id genus fere *positivis* gaudent. Ex gr. Haec quidem est *perfacilis et perexpedita* defensio. Cicero. Quod mihi quidem *perquam puerile* videri solet. Cicero. Sin ad nos pervenirent, servirent, praeterquam *oppido pauci*. Idem. Philodamus erat *inprimis* inter suos *copiosus*. Idem. Homo *cumprimis honestus*. Idem.

Nota. *Per et perquam* raro *superlativo* etiam iunguntur, ex. gr. *Per difficillimum* aditum. Liv. L. 10. B. Mac. *Perquam maximo* exercitu coacto. Curt.

II. *Quam*, cum admirationi, commiserationi, atque interrogationi, cum admiratione permistae servit, aut pro *quantum* ponitur, positivis iungitur, e. g. Heu *quam fallaces* sunt spes, *quam inanes* cogitationes! *Quam multa*, quae nostra causa nunquam faceremus, facimus causa amicorum. Cic. Quam sint *morosi*, qui amant, vel ex hoc intelligi potest, etc. Cic.

Nota 1) Sequente verbo *possum* aut *queo* particula *quam* pro *quantum* superlativis adiungitur, e. gr. Iugurtha, *quam maximas potest*, copias parat. Sall. *Quam potui maximis* itineribus ad Amanum exercitum duxi. Cicer. Aves nidos construunt, eosque *quam possunt mollissimos* substernunt. Idem. Ut te redimas captum, *quam*, *queas minimo*. Ter.

Nota 2) Saepe verbum *possum* desideratur, ex. gr. Sed peto a te, ut *quam celerrime fieri potest*.

Nota 3) *Quam ut*, eleganter comparativa sequitur, e. g. Hoc *altius* est, *quam ut* nos humi strati suspicere possimus. Cic.

Nota 4) *Quam* pro *valde* superlativis elegantissime adiungitur, e. g. Vehementer te rogo, ut cures, ut ex hac commendatione mihi Cuspius *quam maximas*, *quam primum*, *quam saepissime* gratias agat. Cic. Nisi forte et hic verbum *possum* lateat; ut sit, *quam maximas*, pro *quam potest maximas*.

Nota 5) Interdum etiam positivum admittit, e. gr. Fecerunt aliqui alia *quam multa*. Cicer. 4. Ver. Deinceps inde multae, quas non diligenter elaboratas, etiam *quam elucubratas* afferebamus. Cic. *Ut quam celerem* atque instabilem motum haberet. Caes.

Nota 6) *Tam et quam* positiva frequentissime, superlativa rarius, comparativa rarissime copulant, Ex. gr. Nemo orator *tam multa*, ne in Graeco quidem otio, scripsit, *quam multa*, sunt nostra. Cic. *Quam* quisque *pessime* fecit, *tam maxime* tutus est. Sall. (hic *tam*, *quam*

valent idem, quod adverbia, *ut*, *ita*.) Per dexteram non *tam* in bellis et praeliis, *quam* in promissis et fide *firmiorem*. Cic.

Nota 7) *Tum* interdum etiam separatim ponitur cum positivo aut superlativo, ex. gr. Nondum erat vestis *tam gravissimis*, tamque *multis* iudiciis, ignominiisque concisus. Cic.

Nota 8) *Tam*, *quam* pro *tanto et quanto* raro reperiuntur comparativo iuncta. E. g. *Tam magis* illa fremens et tristibus effera flammis; *quam magis* effuso crudescent sanguine pugnae. Virg.

Nota 9) Pro *quam* ponitur nonnunquam *ut* nominibus adiectivis aut adverbiis inde derivatis additum, sive positivi sint gradus, sive superlativi, ex. gr. *Ut acerbum* est, pro benefactis quum mali messem metas. Plaut. *Ut gravissime diligentissimeque*.

III. Adverbia in *um* positivis gaudent, ut: *parum*, *multum*, *nimium*. *tantum*, *quantum*, *aliquantum*, *aliquantulum*, e. g. *Parum firma* sunt quae de fratre meo scribis. Cicero. Socer huius vir *multum bonus* est. Cic. In rebus apertissimis *nimium longi* fuimus. Idem. Cogitatio *aliquantum labefactata*, atque convulsa. Idem. Credo *timida es aliquantulum* soror. Plaut.

Nota. *Tantum*, *quantum*, *aliquantum* etiam comparativis nonnunquam iunguntur, e. g. *Quantum* domo *inferior*, *tantum* gloria *superior*. Val. Max. Eius frater *aliquantum* ad rem est *avidior*. Ter.

IV. O finita adverbia comparativo adhaerent, ut: *multo*, *paulo*, *tanto*, *quanto*, *aliquanto*, *nimio*, *nihilo*, *hoc*, *eo*, *quo*, *longe* (pro multo) e. g. Nec vero corpori solum subveniendum, sed etiam menti, atque animo *multo magis*. Cic. Est finitimus Oratori Poëta, numeris *adstrictior paulo*. Cicer. Valeo, sicut soleo, *paulo* etiam *deterius*, quam *soleo*. Idem. *Quanto superiores* sumus, *tanto* nos *submissius geramus*. Idem. Postea *aliquanto* ipsos quoque tempestas *vehementius* iactare coepit. Idem. Vixisse *nimio satius* est, quam *vivere*. Plaut. *Nihilo beatior* Iupiter, quam Epicurus, demta aeternitate. Cicer. Certe *hoc magis* habes testimonium amoris mei, *quo maturius* tibi, quam ceteris consilia

mea volui esse nota. Idem. At pedibus *longe melior* Lycus. Virg.

Nota 1) *Multo*, *tanto*, *quanto* etiam superlativis adduntur, e. g. Cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii, atque, eloquentiae *multo molestissima.* Cicero. Conspectus vester *multo iucundissimus.* Idem. Alcibiades fuit omnium aetatis suae *multo formosissimus.* Nep. *Tanto pessimus* omnium Poëta, *quanto tu optimus* omnium patronus. Catull.

Nota 2) *Longe* (pro valde) et *facile* (pro *sine dubio* vel *controversia*) superlativis, et superlativi vim habentibus iunguntur. E. g. *Longe* post natos homines *improbissimus.* Cic. Saguntum civitas *longe opulentissima* fuit. Liv. Svevorum gens est *longe maxima et bellicosissima* Germanorum omnium. Caes. *Longe primus* civitatis est Epicrates. Cic. Paetus *longe princeps* municipii Lucensis. Cic. Virum unum totius Graeciae *facile doctissimum* Platonem. Cic. Non solum sui municipii, verum etiam eius vicinitatis facile *primus.* Idem. Regionis illius et vicinitatis virtute, existimatione, nobilitate *facile princeps*, Idem. In iis affectibus, qui miseratione constat, *facile praecipuus.* Quint.

Nota 3) *Longe* (pro valde) additur etiam nominibus, quae diversitatem, dissimilitudinemque significant, ut: *longe alius*, *dispar*, *dissimilis;* item: adverbiis *aliter*, *ante*, *post.* E. g. *Longe alia mihi* mens est. Sall. O fortunam *longe disparem* M. Fonteii. Cic. *Longe aliter*, ac speraveram, res cecidit. *Longe secus.* Cicero. *Longe ante* videre futura. Cic. *Longe post* subsecutus.

CAPUT VII.

De Syntaxi Interiectionum.

Quibus casibus adiunctae inseruntur orationi Interiectiones?

I. Multae interiectiones sine casibus inseri solent orationi, ad declarandum aliquem animi affectum, e. gr. *Eheu* quam pingui macer est mihi taurus in arvo. Virg. *Hui* totiesne me literas dedisse Romam, quum ad te nullas darem. Cic.

II. *Hei*, *vae*, *hem*, *heu*, etc, DATIVUM adsciscunt, e. g. *Hei mihi!* Virg. *Hei mihi!* quid facimus? Ovid. *Hei misero mihi.* Terent. *Vae capiti tuo.* Plaut. *Vae misero mihi.* Ter. *Vae victis!* Flor. *Vae victis esse.* Liv. *Hem tibi* talentum *argenti*, Philippicum est. Plaut. *Heu mihi* nequeo, quin fleam. Plaut. *Heu misero mihi.* Plaut. *Heu mihi.* Terent. Enn.

Nota 1) *Vae* etiam cum Accusativo occurrit, ut: *Vae te!* Plaut. Asin. II. 4. *Vae me.* Senec. Apocol.

Nota 2) *Hei* interdum Vocativo additur, e. g. *Hei Megadore*, haud decorum facinus tuis factis facis.

Nota 3) *Hem et He* nonnunquam Accusativo vel Vocativo adhaerent. e. g. *Hem astutias.* Ter. *Heu stirpem invisam.* Virgil. *Heu me miserum!* cur senatum cogor, quem semper laudavi, reprehendere? Cicer. Phil. 8. *Hem Pamphile.* Terent. *Hem mea lux*, *meum desiderium.* Cic. *Heu pietas*, *heu prisca fides.* *Virg.* licet postrema haec: *Heu lux etc Heu. pietas* etc. aliqui nominative etiam accipiant.

III. *O*, *Proh*, *Ah*, *Vah*, *Eheu*, ACCUSATIVO adiunguntur, ex. gr. *O me miserum!* o me infelicem! Cic. O fortem, et a vobis iudices, *conservandum virum.* Idem. *O terram illam beatam*, quae hunc virum

exceperit! hanc *ingratam*, si eiecerit! *miseram*, si amiserit. Idem. *O me perditum!* o me afflictum! Idem. *O scelestum Parmenionem!* Ter. *O ingentem confidentiam!* Idem. *O diem laetum notandumque* candidissimo calculo! Plin. *O praeclarum custodem* ovium, ut aiunt, *lupum!* Cic. *Proh* Deum hominumque *fidem!* Ter. Ah me miserum! Ter. *Vah inconstantiam?* *Vah callidum consilium!* Ter. *Eheu conditionem* huius temporis! Cicero. *Eheu* me miserum! Sall.

Nota 1) O exclamandi particula exigit saepissime Nominativum et vocativum; interdum etiam omittitur, quando levior est affectus, e. g. *O vir fortis atque amicus?* Terent. *O Dave*, itane contemnor abs te. Ter. *Meliboee!* Deus nobis haec otia fecit. Virg. *Me coecum*, qui haec ante non viderim. Cicero. *Miserum me!* cum hac me peste atque labe confero. Cic.

Nota 2) *Proh* apud Ciceronem apertissime Vocativum habet. Quae enim res nunquam *(proh sancte Iupiter!)* non modo hac in urbe, sed in omnibus terris est gesta maior. *(Proh sancte Iupiter,)* quid video? Plaut.

Nota 3) *Ah*, *Vah*, Vocativo etiam iuncta reperies, e. g. *Ah virgo infelix!* Virgil. et ne Nominativum esse putes, illud Terentii vide: *Ah mi homo?* anusne es? *Vah mea Antiphila?* Ter. *Vah homo impudens!* Idem.

Nota 4) *Cedo*, *et apage*, cum verba sint Imperativi modi, non est cur Interiectionibus adnumerentur; postulant autem Accusativum, e. gr. *Cedo tabulas!* Cicero. *Apagete* cum Sext. Servilio. Idem. *Cedo* Dativum quoque personae cum Acc. habet. E. g. *Cedo mihi leges Attineas.* Cicero.

VI. Praeter complures e superius adnotatis interiectionibus VOCATIVO inprimis iungi amant: *Heus*, *ohe*, *eho*, *ehodum*, *ehem*, *io*, *e. g. Heus! heus! Syre.* Ter. *Heus puer!* Idem. *Ohe* iam satis est. *Ohe libelle.* Mart. *Eho Pseudole*, i, gladium offer. Plautus. *Ehodum bone vir*, quid ais. Terentius. *Io triumphe!* Horat.

Observationes.

1) Quaedam nomina in genere neutro eleganter interiectionum loco ponuntur. E. g. Quae, *malum!* ra-

tio est expertis, alia experiri. Livius. *Infandum!* sistunt omnes, terraeque dehiscunt. Virg. *Mirum!* quin te adversus discat. Plaut.

2) Verba *quaeso*, *obsecro*, *oro*, *amabo*, ut interiectiones orationi saepe inseruntur. Quoties, *quaeso*, dicendum est tibi. Plaut. *Obsecro*, an is est. Ter. Iam iam, *amabo*, desine ludos facere. Plaut. Properate, adferte mensam, *amabo*. Plaut.

3) Exclamandi particulae: *ut*, *utinam*, *o si*, subiunctivum exigunt. *O* mihi praeteritos *referat si*, Iupiter annos! Virg. Atque *utinam* patria *sim* falsus aruspex! Propert. *Ut* te dii, deaeque *perdant*. Ter.

CAPUT VIII.

De Syntaxi Coniunctionum.

Maximo necessaria praecepta de *Coniunctionibus*, earumque in duas classes, ratione nimirum 1) significationis seu potestatis, 2) ratione collocationis, seu ordinis divisione; imo, quos etiam nonnullae earum modos post se postulent, in Etymologia iam praemissa sunt; hic necessariae quaedam adhuc observationes adiunguntur, iis, quae ad iustam, elegantemque *particularum*, quibus membra orationis mutuo adstringuntur, totaque fortis, mascula, et in omnem partem flexilis redditur oratio, ad *Syntaxim ornatam* relegatis.

Quae magis necessariae de Coniunctionum constructione observationes?

I. Coniunctiones similes casus in nominibus, similes modos et tempora in verbis copulant, e. g. *Pulvis et umbra* sumus. Horat. *Divitiarum, et formae* gloria fragilis est. Sall. Multa *tulit, fecitque* puer, *sudavit et alsit.* Hor. *Nox et amor, vinumque* nihil moderabile suadent. Ovid. *Aut prodesse* volunt, *aut delectare* Poëtae. Horat.

Nota 1) Interdum huic constructioni certa dictionum proprietas obstat, possuntque casus per coniunctiones copulati esse dissimiles, e. g. Fui *Romae et Athenis*, vel *Brundusii*, *aut Sulmone* mortuus est; Emistine librum *centusse*, an *minoris?* Malim *Panormi*, *quam in Syracusis esse. Et reipublicae*, *et mea*, *et vestrum omnium interest.* Salvus sum *meo praesidio*, *atque hospitis.* Terent.

Nota 2) Futura tamen diversorum modorum saepe coniunguntur. e. g. Siquidem porro Micio tu tuum officium

facies, atque huic aliquid paullum prae manu *dederis*, unde utatur: reddet tibi *cito.* Terent. Quodsi erit factum; et rempublicam divino officio *affeceris*, et ipse aeternam gloriam *consequere.* Cic. Imo est, cum sententia modum plane diversum postulet, e. g. Audacissime oneris quidvis *impone et feret.* Terent.

II. Coniunctiones *ut*, *quo*, *ne*, *quin*, poscunt verbi coniunctivum, e. gr. Ut plurimis *prosimus*, eniti debemus. Cic. Hoc quotidie meditare, *ut possis* aequo animo vitam relinquere. Sen. Obducuntur libro, aut cortice trunci, *quo sint* a frigoribus, et caloribus tutiores. Cicero. Ager non semel aratur, sed novatur, et iteratur, *quo* meliores foetus *possit* et grandiores edere. Cic. Cave, *ne* quid stulte, *ne* quid *temere dicas*, *aut facias* contra potentes. Cicero. Pulcherrimum existimo, severitatem, comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, haec in petulantiam procedat. Plinius. Non possumus, *quin* alii a nobis *dissentiant*, recusare. Cic. Nunquam accedo ad te, *quin* abs te *abeam* doctior. Ter. Nihil tam difficile est, *quin* quaerendo *investigari possit.* Ter. Fama non temere nasci solet, *quin subsit* aliquid. Cic.

Nota 1) Quando coniunctiones has tempus *Praesens* vel *Futurum* praecedit, sequitur Praesens Coniunctivi modi, praecedente autem *Praeterito Perfecto*, *Imperfecto vel Plusquamperfecto*, sequitur plerumque *Imperfectum* Coniunctivi, e. g. Tanta vis est iustitiae, *ut* ea etiam latronum opes *firmet*, atque *augeat.* Cic. Tantum *cepi* dolorem, *ut* consolatione ipse *egerem.* Idem. Quis fundum colit, *quin* sues *habeat.* Varr. Nullum adhuc intermisi diem, *quin* aliquid ad te literarum darem. Cicer. Angustias *quaerebat* Themistocles, *ne* multitudine *circumiretur.* Nep. In funeribus *sublata erat* celebritas virorum, ac mulierum, *quo* lamentatio *minueretur.* Cic. (non *minuatur.*)

Nota 2) Si post *ut*, *quo*, *ne*, *quin*, Futurum sequatur; illud non Futurum Coniunctivi, sed *Futurum Periphrasticum* esse oportet, e. g. Non dubitabam, *quin* literas libenter *lecturus* esses. Cic. (non *quin legeris*) Vereor, *ne* vitae meae modestia parum *valitura sit* contra fal-

sos rumores. Cic. Plura de his superius de usu temporum, et modorum.

III. *Etsi*, *tametsi*, *etiamsi*, *quamquam*, *quamvis*, quando res certa significatur, Indicativum postulant, e. g. Eloquentiae studendum est, *etsi* ea quidam perverse *abutuntur*. Cic. Viri boni faciunt, quod rectum, quod honestum est, *etsi* nullum consecuturum emolumentum *vident*. Cic. Homo quod crebro videt, non miratur, *etiamsi*, cur fiat, *nescit*. Idem. Miltiades erat inter suos dignitate regia, *quamvis carebat* nomine. Nep. Medici *quamquam* saepe *intelligunt*, tamen nunquam aegris dicunt, illo morbo eos, esse morituros. Cic. *Tametsi* vicisse *debeo*, tamen te meo iure decedam. Cic. *Quamvis est* igitur meritis indebita nostris; magna tamen spes est in bonitate Dei. Ovid.

Quodsi vero res dubia incerta *) significatur, rectius coniunctivus sequitur, ex. gr. Sunt, qui, quod sentiunt, *etsi* optimum *sit*, tamen invidiae metu non audent dicere. Cicer. Mihi quidem, *tametsi* haudquaquam par gloria sequatur scriptorem, et auctorem rerum: tamen inprimis arduum videtur, res gestas scribere. Sall. Rectum est in contentionibus, *etiamsi* nobis indigna *audiamus*, tamen gravitatem retinere, iracundiamque repellere. Cic. Quod turpe est, id *quamvis* occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest. Cic.

Nota. Observatum est et id *a*) *etsi*, *tametsi*, *etiamsi*, *quamquam*, sub initium sententiae magis Indicativos postulare, in medio vero et fine sententiae tam Indicativos, quam Coniunctivos recipere. *b*) *quamvis*, *licet ut* (pro quamvis) plerumque subiunctivo gaudere, e. g. *Quamvis non fueris* suasor profectionis meae, approbator certe fuisti. Cic. Vita brevis est, *licet* supra mille annos *exeat*. Sen. *Ut desint* vires, tamen est laudanda voluntas. Ovid. *c*) *Quamvis* interdum tantum Indicativo iunctum, praesertim apud Poëtas, reperiri.

---

*) Res incerta, et dubia per memoratas coniunctiones expressa fere in vernaculis reddi solet per *ha szinte*, *wenn auch*, *ačkolwek*.

IV. *Cum* quando in oratione directa, unde plerumque incipimus, ponitur, praedicatumque sententiae tamquam certum indicat, *Indicativis* adhaeret. Commutari tunc plerumque potest cum *si*, *quando* (ha mikor, wenn, kdiž, gesly.) *Coniunctivum* vero postulat, quando in oratione indirecta (obliqua) positum praedicatum incertum notat, et fere cum dum, nonnunquam *etsi*, *quandoquidem*, (midőn, minthogy, da, als, kdiž, acskoliv) commutari potest. E. g.

Cum Indicat. Qui non postulat a suis iniuriam, *cum potest*, iniuste facit. Cicero. Miserior es, *cum* in omnem fraudem *raperis* oculis, quam si omnino oculos non haberes. Idem. Quid egeris, tum apparebit, *cum* animam *ages*. Sen. Verres *cum* rosam *viderat*, tunc incipere ver arbitrabatur. Cic.

Cum coniunct. Phocion fuit perpetuo pauper, *cum* ditissimus esse *posset*. Nep. Atticus honores non petiit, *cum* ei *paterent*. Idem. Romulus, cum orta subito tempestate non *comparuisset*, ad Deos transiisse creditus est. Eutr. *Cum sit* in nobis consilium, ratio, prudentia, necesse est, Deum haec ipsa habere maiora. Cic. Obscurari lunam, *cum condatur* umbra terrae, trahi in prodigium non debet. Liv. Dionysius *cum* in communibus suggestis consistere non *auderet*, concionari e turri alta solebat. Cic. De huius quoque coniunctionis recto usu plura ex lectione auctorum.

V. *Si*, *sin*, *siquidem*, *ni*, *nisi*, modo Indicativum, modo Coniunctivum adsciscunt, prout sententia *finita*, certa, vel *infinita*, seu incerta significatur. E. g.

Cum Indicat. Si amitti vita *potest*, beata esse non potest. Cic. *Si* bona existimatio divitiis *praestat*, et pecunia tantopere *expetitur*: quanto gloria magis est expetenda. Cic. *Si* fato omnia *fiunt*, nihil nos admonere potest, ut cautiores simus. Cic. Parvi sunt foris arma, *nisi est* consilium domi. Cic. Ortum quidem amicitiae videtis, *nisi* quid adhuc forte *vultis*. Cic. Robur et soboles militum interiit, *siquidem*, quae nunciantur, vera sunt. Cic. Mirum, *ni* domi *est*. Ter.

Cum Coniuncti. Sapiens non dubitat, *si* ita melius *sit*, migrare de vita. Cic. Satis nobis persuasum esse debet, si omnes Deos, hominesque celare *possimus*, nihil tamen iniuste esse faciendum. Cic. *Si* ridere concessum *sit*, vituperatur tamen cachinnatio. Cic. Non potest iucunde vivi, *nisi* cum virtute *vivatur*. Cic. *Nisi* Deus te corporis vinculis *liberaverit*, in coelum tibi aditus patere non potest. Cic. *Ni nossem* causam, crederem vera hunc loqui. Ter. O fortunatam rempublicam, *siquidem* hanc sentinam *eiecerit*.

Nota. *Sin* ponitur *a*) ubi *si* praecesserit, ex. gr. *Si* mihi veniam, quam peto, dederit, utar illius conditione; *sin* minus, impetrabo aliqid a me ipso. Cicer. Scytharum legati ad Alexandrum: *Si* Deus es, inquiunt, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere, *sin* autem homo es, id, quod es, semper esse te cogita. Curt. Omnis cura mea solet in hoc versari semper: *si* possim, ut boni aliquid efficiam; *sin* id *minus*, id certe, ne quid mali. Cic. *Si* illud, quod volumus, eveniet, gaudebimus; *sin secus*, patiemur animis aequis. Plaut. *b*) Aut aliud aequivalens. E. g. Haec primum ut fiant, Deos quaeso, ut vobis decet; *sin aliter* animus vester est, etc. Ter.

VI. *Quia, quoniam, quando, quandoquidem, quatenus* fere Indicativum habent, praesertim initio sententiae, e. g. *Quia* paululum vobis *accessit* pecuniae, sublati animi sunt. Ter. *Quoniam* nemini obtrudi *potest*, itur ad me. Ter. *Quando* ego tuum non *curo*, ne cura meum. Idem. Deos quaeso, ut sit superstes, *quandoquidem* ipse est ingenio bono. Idem. *Quatenus* nobis *denegatur* diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. Plin. Quarta urbs, *quia* postrema aedificata *est*, Neapolis nominatur. Cic.

Nota. *Quia* quum significat *eo quod*, *Coniunctivum* habet, e. g. Recordatione amicitiae nostrae sic fruor, ut beate vixisse videar, *quia* cum Scipione *vixerim*. Cic. Nec quisquam est, qui dolorem, quia dolor sit, amet, Cicer. Nemo ipsam voluptatem, *quia* voluptas *sit*, adspernatur. Idem. de Fir.

VII. *Quod* causalis in sententia *finita* habet *Indicativum* Praesentis aut Praeteriti temporis, e. gr. Bene facis, *quod me adiuvas.* Cic. Non tibi obiicio, *quod* hominem omni argento *spoliasti.* Idem. 6. Ver. Apparet, *quod* aliud a terra *sumsimus*, aliud ab humore. Idem.

In sententia vero *infinita*, seu *potentiali* adsciscunt Coniunctivum, ex. gr. Facile apparet, *quod* me *colat.* Cic. Mihi, *quod* Nasinam *defendissem*, leviter succensuit. Idem.

Nota 1) *Valla* Libr. 2. Cap. 20. docet utroque modo recte dici: *quod scribis*, gaudeo, et *quod scribas* gaudeo. Plura de hac coniunctione in *Syntaxi infinitorum.*

Nota 2) *Quod* praecedente *non est*, *vel nihil est*, habet Coniunctivum, et significat *propter quod*, e. g. *non est*, pro malis temporum, *quod* moleste *feras.* Cic. *Nihil est*, *quod me invites.* Cic. In viam *quod te des* hoc tempore, *nihil est.* Cic.

VIII. Quando particulae *tantum abest* incipiunt sententiam, fere his sequitur causalis *ut*, ita ut posterius *ut* gravius quiddam assumat, et non raro *contra*, *potius*, *maxime*, *minime*, *valde*, et similes particulas adsciscat, e. g. *Tantum abest*, *ut* tibi sim impedimento, *ut contra* te adhorter. Liv. *Tantum abest ut* tibi damnum dederim; *ut* meum *potius* genium tui commodi causa defraudarim. Cic. *Tantum abest ut* ille meam sententiam moveat, *ut valde* ego ipsi, quod de sua sententia discesserit, poenitendum putem. Cic.

Nota. Interdum pro posteriore *ut* assumitur *vix aut etiam* cum Indicativo, e. g. *Tantum aberat*, ut binos scriberent; *vix* singulis *confecerunt.* Cic. *Tantum abfuit ut* inflammaret nostros animos; somnum isto loco *vix tenebamus.* Cic. Quia in vita *tantum abest*, ut voluptates sectentur, *etiam* curas et vigilias perferunt. Cic.

De his atque aliis pluribus eius generis vide Vallam L. 2. c. 37. *item quae* Stewechius, Tursellinus, Pomey, etc. *de particulis* scripserunt.

MONITUM GENERALE

pro conclusione Syntaxeos.

Syntaxis de octo partibus orationis non tam ex his legibus Grammaticis, quam usu, et nocturna, diurnaque scriptorum aevi veteris lectione addiscenda est, adhibitis optimae notae Lexicis: quale e recentioribus est *Io. Gerhardi Scheller* imprimis novissime revisum, emendatum, et auctum opera *G. H. Lünemann*, quod eleganter editum prodivit in III. Tomis Viennae 1808. Iam enim constat inter omnes longe plus semper ad veram linguae latinae notitiam, diligentemque auctorum lectionem sine Grammatico, quam sine lectione valere Grammaticam.

Finis Partis III. seu Syntaxeos.

TABELLA SYNOPTICA

exhibens Syntaxeos Latinae, seu octo partium Orationis summa capita omnium distributionum, regularum, et exceptionum, instituendis in Grammatica III. et IV. repetitionibus adcommodata.

SECTIO I.

Syntaxis concordantiae quintuplex.

CAPUT I.

Concordantia verbi cum Nominativo.

1. Verbum concordat cum Nominativo in numero, et persona.
2. Voces copulatae saepe verbum plurale desiderant.
3. Verbum plurale nobiliorem personam sequitur.
4. Prima et secunda persona fere non explicantur.
5. Verbum infinitum interdum partes Nominativi agit.

Nota 1. Poëtae verbo plurali utuntur, intercedente praepositione *cum*.

2. Eadem intercedente praepositione *cum*, verbum multitudinis praestantiori personae reddunt.

3. Verba: *apparet*, *fugit*, *praeterit*, *fallit*, *latet*, interdum loco Nominativi membrum orationis habent.

4. Idem accidit nonnunquam verbis passivis, cum more impersonalium usurpantur.

CAPUT II.

Concordantia Adiectivi cum Substantivo.

Huc pertinet Appendix de verbis utrinque Nominativum habentibus, imprimis de verbo *videor*, de cuius constructione hic pluribus agitur.

1. Nomina adiectiva, pronomina, et participia concordant cum suis substantivis in genere, numero, et casu.
2. Substantiva continuata fere adiectivum plurale requirunt.
3. Adiectivum plurale praestantius genus sibi vendicat.
4. Cum substantivis rerum inanimatarum plerumque iungitur neutrum plurale.
5. Saepius adiectivum cum viciniore substantivo consentit.
6. Participia *factus*, *creditus*, *dictus*, *visus*, *apellatus*, *etc.* post duo substantiva, diversorum generum posita, cohaerent cum eo, quod est basis, et fundamentum orationis.

Nota I. Si de rebus animatis agatur, circumitione utendum.

2. Nonnunquam apud probatos scriptores e duobus substantivis adiectivum consentit cum minus praecipuo.

3. Poëtae substantivis, praepositione *cum* copulatis, plurale adiectivum adiungunt.

CAPUT III.

Concordantia Relativi cum Antecedente.

1. Relativum *qui*, *quae*, *quod*, concordat cum antecedente in genere et numero.
2. Idem fit cum pronominibus: *hic*, *iste*, *ille*, *is*, *idem*, cum fiunt relativa.
3. Relativum antecedenti praepositum cum eodem genere, numero, et casu, perquam venuste cohaeret.
4. Relativum, inter duo substantiva positum, alterutro consentire poterit.

5. *Quantus*, *qualis*, etc. non cum antecedente, sed cum consequente substantivo; genere, numero, et casu consentiunt.

Nota I. Nominativus et verbum; adiectivum et substantivum; relativum et antecedens; apud Historicos et Poëtas, sensu et significatione interdum concordant.

2. Orationis membrum interdum loco antecedentis ponitur idque in neutro genere.

3. Si plura antecedunt substantiva, idem subsequente relativo observandum, quod de adiectivis dictum est.

4. Muliebria substantiva rerum inanimatarum relativo plurali neutro iunguntur.

CAPUT IV.

Concordantia Substantivorum continuatorum.

1. Substantiva continuata casu concordant, quamvis genere, et numero interdum dissentiant.
2. Interdum alterum substantivum genitivi est casus, etiamsi alterum alio casu efferatur.

Nota I. Verbum, adiectivum, et relativum, ex pluribus substantivis concordant cum magis communi; quodsi unum proprium sit hominis, cum eo verbum, ceteraque consentiunt.

2. Substantiva, a Grammaticis dicta *mobilia* numero et genere etiam convenire debent.

3. Plura substantiva, per coniunctionem copulata, nomen plurale requirunt.

CAPUT V.

Concordantia Interrogationis et Responsionis.

Regula Generalis. Interrogatio et Responsio casu consentiunt.

Nota. Quum per verbum quaeritur, quod cum aliis nominibus *alio casu* construitur, interrogativum et redditivum casu discordant, quod vario modo fieri solet.

SECTIO II.

Syntaxis Regiminis, VIII. constans capitibus, pro ratione octo partium orationis.

CAPUT I.

Syntaxis nominum quadruplex.

I. Genitivus post Nomen.

A) *Post Nomen Substantivum.*

1. Duo nomina substantiva rerum diversarum.
2. Alterum substantivorum pronomen primitivum, loco substantivi positum, et in genere adiectiva, pronomina neutro genere substantive posita, ut: *angusta viarum* etc.
3. Substantiva nonnulla, quae non videntur esse substantiva, ut: *instar*, *causa*, *gratia*, *ergo*, *nihil*, Genitivum petunt.
4. Personae vel rei alicuius proprietas, ut: *forma*, *tempus*, *duratio*, *numerus*, *magnitudo*, aut pretium, Genitivo efferuntur, saepe et Ablativo.
5. Substantivum Genitivum regens interdum per elipsim intelligitur.
6. Substantiva affectuum, ut: *amor*, *odium*, etc. passionem significantia, iunguntur Genitivis primitivorum, *mei*, *tui*, *etc.*

B) *Post Nomina Adiectiva, Pronomina, etc.*

1. *Partitiva* regunt Genitivum pluralem, vel collectivi nominis singularem, quibus accenseri possunt *Comparativi et Superlativi*; item *Numeralia*.

Nota. Horum Genitivorum loco poni etiam potest Ablativus cum praepositionibus *de*, *ex*, *in*, vel Accusativus cum praepositione *inter*, *ante*.

2. Genitivum regunt adiectiva, a Grammaticis dicta *Relativa*, eiusmodi adiectiva sunt: a) quae *studium* aliquod, aut *aemulationem*, b) *scientiam*, aut

inscitiam, c) *memoriam*, aut *oblivionem*, d) *participationem* seu communionem, aut contrarium, e) *potentiam*, aut *impotentiam*, f) *copiam et ubertatem*, vel contra *inopiam et egestatem*, g) verbalia desinentia in *ax*, h) *participia praesentis temporis*, i) innumera alia adiectiva ex lectione Classicorum percipienda.

II. Dativus post Nomen.

A) *Post Nomen Substantivum.*

1. Substantiva commodi, aut incommodi.
2. Verbalia substantiva casum verbi sui retinent.

B) *Post Nomina Adiectiva.*

1. Adiectiva commodi, et incommodi.
2. Similitudinem, aut dissimilitudinem, aequalitatem, aut inaequalitatem, significantia.

Nota 1. *Similis*, et *dissimilis* cum Genitivo.
2. *Aequalis* cum eiusdem aetatis hominem significat.
3. *Par* cum *sum*, loco possum.
4. *Par dispar* cum Genitivo.

3. Aptitudinem aut contrarium indicantia.

Nota. *Aptus*, *idoneus*, etc. cum Accusat. ad praepositionem *ad*.

4. Gratiam, voluptatem, favorem, amicitiam, etc. aut contrarium significantia.
5. Facilitatem, aut difficultatem indicantia.
6. Propinquitatem.

Nota. *Propior*, *proximus* cum Accusativo.

7. Adiectiva proprius, communis, affinis. etc.

Nota. *Proprius*, *communis*, *affinis*, *superstes etc.* etiam Genitivo iunguntur.

8. Verbalia in *bilis*, et plura ex usu, et lectione discenda.

III. Accusativus post Nomen Adiectivum.

1. Adiectiva, quibus generalis dimensio significatur, ad quaestiones: quam *longus*, *latus*, *magnus*, *altus*, *crassus*, *etc*.

Nota. Regunt interdum et Genitivum, quandoque etiam ablativo iunguntur.

2. Poëtae Ablativum *partis*, *circumstantiae*, et adiuncti cum adiectivis nonnullis in Accusatiaum mutant.

IV. Ablativus post Nomen.

1. Ablativus post indeclinabile *opus*.
2. Saepe cum substantivis more adiectivorum consentit.

Nota 1. Cum Genitivo raro, nec videtur usurpandum.
2. Construitur cum infinitivo, supino, absolute etiam ponitur.
3. *Usus* pro *opus*, eodem modo construitur.

Adiectiva Ablativo iuncta.

1. Vernaculis comprehensa, ut: *Extorris*, *nudus*, *etc*.

Nota. Liber, *vacuus*, *inops*, etc. Abl. cum praep. *a* vel *ab* recipiunt.
2. Quae copiam significant, etiam Genitivo iunguntur.
3. *Alienus* adsciscit Dativum, vel Ablativum cum praep. *a* vel *ab*.
4. *Dignus*, *indignus* raro cum Genitivo.

2. Adiectiva diversitatis, et numeralia Ablativum cum praep. *a* vel *ab*, admittunt.

Nota. Diversus etiam Dativum regit.

3. In comparatione vel plurium diversi generis, vel duorum eiusdem, aut diversi generis, utimur *comparativo cum Ablativo*.

Nota 1. Particulae *quam*, *ac*, *atque*, cum comparativis adhibitae, sequens nomen cum praecedente casu convenire debere faciunt.

2. Nonnunquam comparativis alter etiam Ablativus adiungitur, significans causam, instrumentum, materiam, excessus, vel defectus, aut simile.
3. Comparativa regunt etiam hos Ablativos: *opinione*, *spe*, *aequo*, *iusto*, *solito*, *dicto*, *nihilo*, *paulo*, *nimio*, *tanto*, *etc.*
4. *Macte*, *macti* iunguntur Ablativo.
5. Adiectivis *grandis*, *maior*, *minor*, etc. iungitur Ablativus *natu*.

CAPUT II.

Syntaxis Pronominum quintuplex.

I. De Pronominibus Personalibus.

1. Genitivi *Pronominum personalium* *mei*, *tui*, *sui*, *meus*, *tuus*, etc. confundi non debent.

Nota. Genitivi *nostri*, *et vestri*, a Genitivis *nostrum et vestrum*, recte discernendi.

II. De Pronominibus Demonstrativis.

1. Pronomina demonstrativa *hic*, *iste*, *ille*, *idem*, *etc.* concordant cum substantivo suo in casu, genere, et numero.
2. Pronomina *is et idem* cum coniunctionibus *et*, *que*, ponuntur in casu substantivi sui.

Nota. *Idem* post se habet saepe numero *qui*, *et*, *ac*, *atque*: Poëtae vero pronomen hoc demonstrativum *idem*, Graecorum more, etiam iungunt Dativo.

3. *Is*, *ea*, *id*, plerumque omittitur.
4. *Hic* ad proximum, *ille* ad remotius nomen refertur.
5. *Ipse*, *a)* personam primariam aliquando designat. *b)* Ponitur in casu subiecti, si ad subiectum; sin ab obiectum in eodem cum illo casu ponitur.
6. *Aliquis* cum derivatis *aliquo*, *aliquando*, syllabam *ali* abiiciunt post particulas *si*, *nisi*, *ne*, *num*, *quo*, *quando*.

III. De Pronominibus Possessivis.

1. Possessivorum pronominum usus in vernacula crebrior est, quam in lingua Latina.

2. Inter possessivum, eiusque substantivum Genitivus saepe interiicitur, substantivum explicans, cuius vices possessivum gerit.

Nota. Genitivus *omnium* cum possessivis non facile, sed cum primitivis legitur.

IV. De Pronominibus Reciprocis in genere.

1. Pronomina *reciproca* a demonstrativis probe discernenda.
2. Saepe fiunt in una constructione.
3. Nunquam ad primam, vel secundam personam fit *reciprocatio*, sed tantum ad tertiam.

Praecipuae de recto Pronominum Reciprocorum usu Regulae.

1. Reciproco primitivo *sui*, *sibi*, *se*, utimur, quum
   a) Vel *tertia persona* immediate transit in se ipsam sive in *recto*, sive in *obliquo*.
   b) Vel cum actio posterioris verbi transit in tertiam personam verbi prioris.

   Nota 1. *Reciprocum sui*, *sibi*, *se*, praecipue locum habet in omissione coniunctionis *quod*, cum voculae in vernaculo hogy ő, dass er, že on, ad Nominativum subiecti praecedentis constructionis referuntur.
   2. Intervenientibus duobus tertiis personis *reciprocum* plerumque ad priorem refertur.
   3. Ubi nulla oritur ambiguitas, *reciprocum* ad remotius subiectum referri potest; saepius tamen, ut occurratur ambiguitati, pronomen *ipse* adhibetur.

2. *Reciproco suus* utimur, *quum a)* Vel tertia persona immediate transit in rem a se possessam.
   b) Vel quum actio posterioris verbi transit in personam prioris, tanquam in possidentem.

3. Si pronomen vernaculum ad subiectum antecedentis enunciationis refertur, et per *suus*, *a*, *um*, reddendum ambiguitatem pariat, per *ipsius*, *et ipsorum* effertur.

Nota, 1. Innumera apud auctores classicos exstant exempla, ubi *suus*, *a*, *um*, pro *eius* vel *ipsius*, et *eorum* vel *ipsorum* ponitur.

2. Sed nec desunt exempla, ubi probati scriptores utuntur *demonstrativis: is*, *ille*, *etc.* pro *reciprocis.*

3. Quoties Nominativus, et Accusativus praecedit praepositionem *inter*, reciproco utuntur auctores; si vero praecedit Genitivus, Dativus, vel Ablativus, tam *demonstrativis*, quam *reciprocis* uti solent.

4. In *reciprocatione* simplici, intercedente praepositione, promiscue vel reciproco *suus*, vel Genitivis pronominum uti potes; si tamen addatur nomen adiectivum, participium, aut verbum, ad quod refertur possessio, reciproco *suus*, *a*, *um*, utere.

5. Occurrentibus in *reciprocatione* simplici tribus personis tertiis, si possessio ad personam secundo loco positam referatur, vitandae ambiguitatis causa adhiberi solent Genitivi demonstrativorum; si vero possessio pertineat ad personam primo loco positam, *suus*, *a*, *um*, potius usurpatur.

4. Intercedente particula copulante *et*, *que*, etc. reciprocum non habet locum.

Nota. 1. Quando de duobus sermo est, *reciprocum* refertur ad *Nominativum*, *demonstrativum* autem respicit *Obliquum* a verbo gubernatum.

2. Possessivum *suus*, *a*, *um*, interdum ponitur pro *proprius.*

3. Interdum etiam *suus* est quasi substantivum.

T. De Pronominibus Relativis.

1. Relativum *qui*, *quae*, *quod*, usurpatur pro pronomine personali, vel demonstrativo, quando coniunctivae particulae *et*, *vero*, *enim*, *igitur*, supprimuntur. Istud exemplis fit clarius.

Nota. 1. Relativum in Nominativo vel Ablativo cum *sum* saepe ponitur pro praepositione *pro*.

2. *Quicunque*, *et quisquis a quisque et quilibet in* usu probe discernenda.

CAPUT III.

Syntaxis Verborum.

I. Praemissa maxime necessaria, de *verborum temporibus; de recta temporum consecutione*, *modorumque usu* doctrina.

II. De *quadruplici verborum finitorum Personalium Syntaxi transitiva:*

A) *Syntaxis Verborum Personalium cum Genitivo.*

1. Verbum *sum*, cum *possessionem*, aut *ad aliquid pertinere* significat; item cum haec vocabula *indicium*, *opus*, *negotium*, *officium*, *proprium munus* intelliguntur.

Nota 1. Possessiva *meus*, *tuus*, etc. cum verbo *est* in neutro genere construuntur.

2. Saepe istae voces: *officium*, *munus*, *proprium*, aperte cum verbo *est* occurrunt.

2. Verba *aestimandi*, praeter Accusativum rei aestimatae nonnullos Genitivos pretii, ut: *magni*, *maximi*, etc. regunt.

Nota 1. *Emo*, *vendo*, etc. etiam memoratis Genitivis iunguntur.

2. *Aestimo* recipit etiam Ablativos *magno*, *permagno*, etc.

3. Dicitur etiam: pro nihilo *habeo*, *puto*, *duco*, etc.

5. Singularia sunt : *aequi bonique facio*, *consulò*, etc.

3. Verba *memini*, *recordor*, *reminiscor*, *obliviscor*, *misereor*, *miseresco*, *satago*, *moneo* cum compositis, et verba nonnulla *affectuum*.

Nota 1. *Recordor*, *obliviscor*, *reminiscor*, *et memini* pro recordor, Accusativo etiam iunguntur.

2. *Memini*, pro mentionem facio, regit Genitivum vel Abl. cum praep. *de*.

3. *Misereor* cum Dativo. Seneca. *Miseror et commiseror* cum Acc.

4. *Moneo*, *admoneo*, cum Abl. cum praep. *de*.
5. Verba, *curam* aut *perturbationem* animi significantia, promiscue Genit. et Abl. recipiunt.

4. Verba *accusandi*, *absolvendi*, *damnandi*, praeter Accusativum personae admittunt *Genitivum* poenam, crimenve significantem.

Nota 1. In hac construendi ratione Ablativi *crimine vel nomine* intelliguntur.
2. Genitivus criminis mutari potest in Ablativum cum praep. *de*.
3. Pro Gen. *capitis* dicitur etiam *capite* aliquem damnare.
4. Ne vero dixeris: *crucis*, *gladii*, pro ad *crucem*, *gladium*, quem damnare.
5. Huc etiam pertinet: *damnari voti*.
6. *Teneor* cum Genit. criminis, seu reatus.
7. Non temere utendum verbis *accusandi*, *damnandi* cum Gen. criminis.
8. Verba *absolvo*, *libero*, *alligo*, *adstringo mulcto*, *obligo*, *obstringo*, Ablativum significantem poenam, crimenve sine praep. admittunt.

B) *Syntaxis Verborum cum Dativo.*

1. Verbum *sum* pro habeo regit Dativum.

Nota. Dicitur *esse* ab epistolis alicuius.

2. *Sum* pro adfero, item: *do*, *duco*, *habeo*, *tribuo*, *verto*, *fio*, regunt geminos Dativos, personae et rei.

Nota. 1. Interdum Dativus personae dissimulatur.
2. Dicitur etiam: *vertere in crimen*, *vitium*, etc.
3. Huc pertinet ellipticum: *homo frugi*; item: *esse noxae*, *morae*.

3. Quodlibet verbum admittit Dativum *personae* aut rei, cui qualicunque modo aliquid acquiritur, vel demitur; eiusmodi praecipua verba sunt: *dandi*, *reddendi*, *committendi*, etc. Multa item neutra, quae *auxilium*, *commodum*, *incommodum*, *favorem*, *et studium* significant; denique complura compo-

sita ex praepositionibus *ad*, *ante*, *con*, *de*, *e*, *in*, *inter*, *ob*, *post*, *prae*, *pro*, *re*, *sub*, *super*.

Nota 4. Multa ex his Dativi loco praepositionis suae casum admittunt.

2. Figuratum est, cum verbis apponitur Dativus pro Accusativo cum praep.

3. Huc pertinent illa: *habeo*, *adhibeo*, *praesto tibi fidem*.

4. Reflexio de verbo *mutuo*, *mutuor*, *commodo*.

4. Quaedam verba, ut: *adulor*, *allatro*, *antecedo*, etc. in eadem significatione, modo *Dativum*, modo *Accusativum* admittunt. His similia sunt et alia verba: quae in eodem fere sensu diversos casus, *Dativum*, *vel Accusativum*, *aut Ablativum* cum vel sine praepositione adsciscunt, ut: *abdico*, *confido*, *dono*, *impertio*, *interdico*, *etc*.

5. Sunt quaedam verba, quae, pro diversa significatione, diversos casus regunt: praecipue nunc *Dativum*, nunc *Accusativum*, nunc *Ablativum* cum praepositione, ut: *accedo*, *aemulor*, *ausculto*, *consulto*, *incumbo*, *vaco*, et plura alia ex auctorum lectione discenda.

C) *Syntaxis Verborum cum Accusativo.*

1. Omnia verba activa regunt Accusativum.

Nota. Pro Accusativo interdum est Infinitivus.

2. Verba deponentia, quae active significant.

3. Neutra, cum significant actionem transeuntem.

Nota 1. Etiam neutra intransitiva regunt Acc.

a) Suae originis

b) Cognatae significationis, qui Accusativus saepe in Abl. vertitur.

2. Huc revocantur verba ad rem rusticam pertinentia.

3. Multa alia, quae Grammatici vocant *Neutro-Activa*, ubi nonnulli suppressas praepositiones *propter*, *per*, *ad*, putant.

4. Construuntur cum Accusativo aliquando verba *composita neutra*, vi praepositionis, cum qua sunt composita.

Nota 1. Verba activa, ex praep. *trans* composita, assumunt saepe duplicem Accusativum, alterum regiminis praepositionis.

2. Non tantum verba neutra, sed etiam deponentia, et passiva, vi praepositionis, cum qua sunt composita, assumunt Acc.

3. Quaedam ex his repetunt praepositionem ante nomen.

5. Saepe verbis passivis, praesertim apud Poëtas, adiungitur Accusativus loco Ablativi.

6. Quaedam verba activa duos Accusativos regunt: unum personae, alterum rei; aut utrumque Accusativum eandem personam, aut rem sive per appositionem, sive alia declaratione notantem.

Nota. 1. Verba *orandi*, *monendi*, *consulendi*, etc. praeter Accasativum personae, non promiscue quosvis alios rei, sed communes omnibus verbis Accusativos: *hoc*, *istud*, *id*, *illud*, *quid*, *aliquid*, *multa*, *pauca unum*, etc. admittunt.

2. *Doceo*, *edoceo*, *moneo*, *admoneo*, *rogo*, *posco*, *exoro*, retinent Accusativum rei etiam in passivo.

3. *Interrogo*, *percontor*, *celo*, *moneo*, *commoneo*; item: *doceo*, *edoceo*, *erudio*, pro certiorem facio, saepe pro Accusativo rei regunt Ablativum cum praep. *de*.

4. *Celo* etiam Dativo gaudet, maxime voce passiva.

5. *Erudio*, *instituo*, *instruo*, *imbuo*, *informo*, quamvis sint verba docendi, non tamen geminum Accusativum habent: sed Ablativum cum Accusativo.

6. Prisci dicebant: *exigor pecunias*, etc.

7. Verba *petendi et percontandi* praeter Accusativum rei, fere Ablativum personae cum praep. *a*, vel *ab* habent.

8. *Iubeo*, pro decerno, statuo, creo, tantum Accusativum rei vel personae, nunquam Dativum, admittit; cum vero significat *imperare*, fere iungitur in-

finitivo cum Accusativo, interdum etiam cum Dativo personae, et particula *ne* vel *ut* repetitur.

D) *Syntaxis Verborum cum Ablativo.*

1. Omnia verba *Passiva Ablativum* agentis adsciscunt cum praep. *a* vel *ab*.

Nota 1. Fit hic Ablativus ex Nominativo Activo.

2. Interdum hic Ablativus in Dativum mutatur.

3. Quae verba post Accusativum admittunt Ablativum personae, dum activa passivis permutantur, cave ne sensus ambiguus fiat.

4. Interdum loco Ablativi Accusativus, addita praep. *per*, ponitur.

2. Verba *Neutro-Passiva*, more passivorum, construuntur.

Nota 1. *Fio* eleganter cum Ablativo sine praep. iungitur.

2. Participium futurus, eodem sensu, eosdem casus postulat.

3. Verbum *facio*, eodem modo usurpatur a doctis, quo verbum *fio*.

4. *Exulo*, et *liceo* absolute, aut cum communibus casibus usurpantur.

3. Verba, *quae copiam*, *aut inopiam* significant, multaque alia versibus expressa.

His *egeo*, *indigeo*, *careo*, *vaco*, *victito*, *vescor*, *etc.*

Nota. 1. Huc pertinent *periclitor*, cum ad periculum refertur; nam, cum significat *experior*, Accusativum regit.

2. *Egeo*, et *indigeo* etiam cum Genitivo iunguntur.

3. *Caveo*, *abundo*, *scateo*, rarius cum Genitivo.

4. *Potior* frequentissime Genitivo iungitur.

6. *Utor*; *abutor* apud comicos; item: *fruor*, *fungor*, *potior*, *vescor*, *et pluo* interdum cum Accusativo.

6. *Consto et laboro* nonnunquam praepositionem *e* vel *ex* ante Ablativum admittunt.

7. *Nitor*, *et glorior* cum praep. *in*, et Ablativo.

8. *Vaco* saepe Ablativo cum praep. *a* vel *ab* iungitur.

9. *Vivo*, *et victito*, plerumque quidem sine praeposit. sed et cum variis reperitur praepositionibus.

4. Verba *implendi*, *onerandi*, *liberandi*, *vestiendi*, et his contraria; multa praeterea *privandi*, praeter Accusativum, adsciscunt Ablativum materiae.

Nota 1. *Impleo*, *et compleo*, *saturo*, *obsaturo*, etiam Genitivum admittunt.

2. Verba *vestiendi*, iuncta voce activa, cum duobus Accusativis apud veteres quidem haud reperiuntur; passiva vero voce *induo* apud Historicos et Poëtas cum Accusativo rei invenitur.

4. Verba *petendi*, *auferendi*, *removendi*, *abstinendi*, *accipiendi*, *etc.* praeter Accusativum, Ablativum cum praep. *a* vel *ab* postulant.

Nota 1. Quaedam ex his modo Dativ. modo Ablat. cum praep. habent, praeter Accusativum.

2. De verbo *Abstineo*.

3, Verba *Cognoscendi* praep. *ex* recipiunt.

4. Horum normam imitantur etiam alia, ut: *quaero*, *percunctor*, *sciscitor*, *etc.*

5. Quaedam etiam praep. *de* admittunt.

6. Verba composita, cum praepositionibus Ablativum regentibus, Ablativum penes se habent sine, vel cum praep. repetitis.

Nota 1. Quaedam ex praepositionibus composita repetunt saepe praepositionem ante nomen, aut eam cum alia commutant.

2. Verba: *egredior*, *excedo*, *exeo*, quando Accusativo iunguntur.

7. Verba *emendi*, *vendendi*, *conducendi*, *locandi*, petunt Abl. pretii.

Nota. Ablativus *pretii* plerumque omittitur, et ponitur solum adiectivum conveniens; e. gr. *magno*, *parvo*, *plurimo*, *tanto*, *quanto*, *minimo*, *nimio*, *etc.*

E) *Syntaxis verborum cum Nominibus Temporum et Locorum.*

I. Temporum.

1. Cuivis verbo apponi potest Accusativus *distantiam* loci, vel *extensionem* significans.

Nota 1. Interdum Ablativo utuntur scriptores.

2. In Accusativo intelligi videtur *ad*, *per*, *circa*.

2. Tempus Accusativo, vel Ablativo casu effertur; ad quaestionem *quamdiu?*

Nota. Accusativo interdum accedit praepositio *per*, *ad*, *in*, *intra*.

3. Interrogatio per quando? requirit nomen temporis in Ablativo casu.

Nota 1. Nonnunquam Ablativo additur praepositio conveniens, e. g. *ad*, *per*, *in*, *sub*, *de*.

2. *Abhinc* verbis praeteriti temporis iungitur elliptice cum Accusat. vel Ablat.

II. Locorum.

1. Propria pagorum, castellorum, urbium, I. vel II. Decl. ad quaest. *ubi?* ponuntur in *Genitivo*, III. Decl. vel Num. Plur. in *Ablativo*.

Nota 1. Propriorum legem sequuntur apellativa quatuor: *humi*, *belli*, *militiae*, *domi*.

2. Genitivus *domi*, admittit adiectiva: *meae*, *tuae*, *suae*, *nostrae*, *vestrae*, *alienae*; cum aliis in Abl. cum praep. *in* ponitur.

3. Genitivus *militiae* non facile sine Genitivo *domi* reperitur.

4. *Viciniae* etiam pro *in vicinia* occurrit.

2. Ad interrogationem *Quo?* propria pagorum, etc. Acc. efferuntur, quibus adde *rus et domus*.

Nota 1. *Domus* nonnunquam etiam praepositionem admittit.

2. *Rura* in plur. apud Livium cum praep. *in*.

3. Ad interrogationem *Unde?* vel *qua?* in propriis pagorum etc. Abl. utendum sine praepositione.

4. Nomina insularum, regionum, provinciarum ad quaestionem *ubi*, *quo*, *unde* praepositionem fere, sicut appellativa, desiderant.

Nota 1. Interdum illis demitur praepositio, praesertim a Poëtis, et Historicis.

2. Propria urbium saepe recipiunt praepositionem *a*, *ab*, *ad*, item adverbium *usque*.

3. Nomina appellativa *urbs*, *oppidum*, etc. ad quaestionem *ubi?* in Ablativo; nomina vero urbium in Gen.; vel si III. Decl. aut Num. Plur. sint, in Ablat. ponuntur.

4. Certa nomina propria regionum, aut viarum, item quaedam appellativa, Ablativo sine praep. eleganter efferuntur.

III. De Syntaxi Verborum Infinitivorum.

A) *Regulae de Constructione Infinitivorum generales, et speciales.*

1. Infinitivus nonnunquam Nominativi locum tenet.

2. E duobus verbis, sine coniunctione iunctis, alterum est *infinitivus*.

Nota 1. *Soleo*, *incipio*, etc. infinitivis verborum impersonalium adiuncta Nominativum celant, eorumque naturam induunt.

2. Sex verba: *soleo*, etc. a Grammaticis dicta *famularia*, vel *servilia* impersonalibus verbis impersonaliter, personalibus personaliter adhaerent.

3. Verbum *incipio* etiam transitivum sine infinitivo reperitur.

4. *Coepi*, *et desino*, cum infinitivis passivis modo activa, modo passiva voce, in praeteritis usurpantur.

5. *Coepi* saepe, praesertim apud historicos, omittitur.

6. *Debeo* cum infinitivo nunquam passiva voce usurpatur.

7. Vitanda tanquam obsoleta *potestur*, *quitur*, *nequitur*.

3. Infinitivo etiam iunguntur verba *a)* quibus voluntatis prosecutio significatur, ut: *volo*, *malo*, etc. *b)* verba incipiendi, ut: *incipio*, *ordior*, etc. *c)* perseverandi, *persevero*, *persto*, *pergo*, etc. *d)* verba conandi, ut: *conor*, *nitor*, *laboro*, etc.

Nota 1. Verborum naturam sequuntur nomina similis significationis; e. g. *cupidus*, *nescius*, *indignus*.

2. Dupplex nonnunquam occurrit ellipsis, interdum enim subticetur verbum regens infinitivum; interdum infinitivus, qui regitur.

3. Reperiuntur quandoque plures infinitivi iuncti.

4. Post certa verba finita, et quidem 1) *Sensuum* tam *externorum*, quam *internorum*; 2) quae aliquid *indicant*, *declarant*, *affirmant*, aut *negant*, sequitur fere infinitivus habens ante se subiecti Acc., qui resolvitur per Nominativum et coniunctionem *quod*.

Nota 1. Interdum particula *quod* retinetur; sed raro, nec passim ac temere imitandum.

2. Loco futuri in infinitivo, saepe ponitur *fore ut* cum coniunctivo, praesertim si verbum supino careat.

3. Tempus quoddam, ex praeterito et futuro mistum, in infinito modo valde usitatum.

4. Futuro infiniti activi in *rum* utebantur antiqui, non secus ac futuro *fore*.

5. Amphibologia, in omissione particulae *quod* Accusat. geminatione facta, solvitur Ablativo cum praepos. *a* vel *ab*.

5. Post verba *affectuum* particulam *quod* poni, vel omitti posse complura veterum classicorum exempla probant.

Nota 1. *Quod* poni vel omitti potest, quando causam ac rationem reddit, et cum *quia* commutari potest.

2. *Quid* non omittitur, quando id, quod praecesserat, fusius declarat, iungiturque *Indicativo*, non *Coniunctivo*, nisi forte particula *quod* opinionem aut cogitationem alterius exprimat.

6. *Ut*, *quin*, vel aperte ponuntur, aut eorum loco Acc. cum Infinitivo adhibetur, idque fit 1) post verba: *volendi*, *optandi*, *concedendi*; 2) post verba: *aequum est*, *oportet*, *expedit*, *necesse est*, *sequitur*.

Nota. Post *necesse est* saepius omittitur *ut*, *et* verbum ponitur in coniunctivo.

7. Ferme respuunt apud oratores infinitum, et coniunctivum cum particula *ut* desiderant verba *petendi*, *instandi*, *precandi*, *impetrandi*, *suadendi*, *eventus*.

Nota 1. Nonnulla ex memoratis verbis reperiuntur apud veteres, praesertim Poëtas, nonnunquam cum Accus. et Infinitivo.

2. Saepe verbo, in coniunctivo post verba mandandi posito, deest *ut*.

3. Bene advertendum: utrum verba *dico*, *scribo*, *respondeo*, *maneo*, etc. praepositionem, an vero mandati, aut voluntatis ideam exprimant.

4. Post *evenire* sequitur nonnuuquam *quod*.

8. Infinitivus *esse* aut *fieri*, si verbum *datur*, *licet*, *expedit* etc. sive cum Dativo, sive absque eo antecesserit, vel Dativum post se habebit consuetudine Graeca; vel Accusativum ex natura linguae Romanae.

Nota 1. Quando verbum Infinitivum utrinque casum obtinet, casus, quem post se habet, conveniet cum casu proxime antecedente.

2. Verba *puto*, *aio*, *refero*, etc. ante infinitivum posita, duriorem efficiunt orationem Nominativo sequente.

9. Post *dubito*, *dubium est*, etc. ponitur vel Acc, cum infinitivo, vel particula *an* cum coniunctivo; post verba vero: *non dubito*, *non est dubium*, *quis dubitat*, etc. ponitur vel Accusativus cum infinitivo, vel particula *quin* cum coniunctivo.

10. Post verba *timendi* Acc. cum Infinitivo occurrit rarius, saepissime vero *ne*, et *ne non* seu *ut*.

Nota 1. Verba *vereor*, *timeo*, *metuo* cum *ut*, aut *ne* contraria fere iunguntur significatione.

2. *Ne non* idem est, quod *ut*.

3. Nonnunquam etiam tertia additur negatio.

11. Post verba: *video*, *permitto*, *iubeo*, *audeo*, *etc.* sequente persona aliquid agente, ponitur infinitivus *activus*; secus vero *passivus*.

Nota 1. Verba: *curo*, *do*, *loco*, etc. pro infinitivo passivo recipiunt participium futurum in *dus* eodem genere, numero, et casu, cum substantivo cohaerens.

2. Participium hoc futurum resolvi potest per *qui*, *quae*, *quod*, *et debeo*, aut per *ut*.

3. Ponitur etiam nonnunquam pro infinitivo praesentis participium praeteriti temporis.

4. *Curo* pro *solicitus sum*, vel *volo* positum; cum Accusativo, et infinitivo iungitur.

5. *Volo* cum participio praeteriti est *circumscriptio* temporis praesentis.

B) *Regulae de Gerundiis, quoad singulos sasus, quorum loco ponuntur.*

1. *Nominativi* casus in *dum* necessitatem significant, et vel Dativum personae iuxta se habent, vel casum omnino nullum, adhibenturque cum verbo substantivo *sum*.

Nota 1. Gerundium hoc in *dum* praeter Dativum communem, aut si Dativus iam adsit, Ablativum cum praep. *a*, vel *ab*, etiam casum sui verbi admittit.

2. Si tamen casus verbi fuerit Accusativus; mutabitur Gerundium *dum* in participium futuri passivi *dus*, *da*, *dum*.

2. *Genitivi* casus gerundia in *di* adiiciuntur certis quibusdam *a*) substantivis, praecipue voluntatem, aut facultatem, tempus, causam etc. significantibus; *b*) adiectivis puibusdam Genitivum regentibus: ut: *avidus*, *peritus*, etc.

Nota 1. Graecismus est, cum infinitivus pro gerundio ponitur.

2. Gerundia, quae Accusativo gaudent, fere elegantius, more adiectivorum, ita efferuntur, ut gerundii casus maneat, servato tamen genere, ac numero Accusativi.

3. Gerundia in *di* interdum Genitivum pluralem pro casu suo admittunt.

3. *Dativi* casus gerundia in *do* subiiciuntur nominibus adiectivis, aut verbis Dativum regentibus.

Nota 1. Interdum nomina, ut: *par*, *impar*, etc. a quibus eiusmodi gerundia pendent, eleganter per ellipsim subticentur.

2. Variatur more adiectivorum, et pro gerundio *do* adhibetur participium *dus*, *da*, *dum*, cum Dativo, cum verbis et adiectivis Dativum regentibus.

4. *Accusativi* casus gerundia in *dum* adnectuntur cum praep. praesertim *ad et inter a*) verbis nonnullis, *b*) quibusdam nominibus adiectivis, ut: *aptus*, etc.

Nota 1. Gerundia, quae Accusativis gaudent, fere elegantius more adiectivorum in eodem genere, numero, et casu cum substantivis efferuntur.

5. *Ablativi* casus gerundia in *do* sequuntur nomen aut verbum vel sine praep., quando causam aut modum significant; vel cum praep., quando ex praep. significatio determinatur.

Nota. Etiam hic, cum verbum Accusativum regit, eleganter usurpari solet participium passivum in *dus*

concordando cum substantivo in Ablativum cum, aut sine praep. converso.

C) *Regulae de Constructione Supinorum:*

1. *Supina* in *um* activam significationem habent, adsciscunt casum verbi sui; et cum verbis significantibus *motum ad locum* iunguntur.

Nota 1. Supina haec in *um*, docent nonnulli Grammatici esse substantiva verbalia.
2. Verbum *eo* saepissime huic supino iungitur.
3. Supinum hoc in *um*, penes verba, *motum ad locum* significantia, multiplex variandi ratio est.

2. *Supina in u* fere passivae significationis sunt sine casu, adhaerentque *a) omnibus adiectivis*, facultatem aut modum rei significantibus; *b)* quibusdam substantivis, ut: *fas*, *nefas*, etc. *c)* ad interrogationem *unde?*

Nota 1. Singulare est apud Tacit. *Pudet dictu.*
2. Pro posteriore hoc supino adhibetur etiam gerundium in *dum*, vel participium in *dus* cum praep. *ad.*
3. Supinum hoc in *u* varii occurrunt apud auctores exprimendi modi.

IV. De Syntaxi Verborum Impersonalium.

A) *Syntaxis Verborum Impersonalium cum Genitivo.*

Praemissis regulis de coniunctione impersonalium passivae vocis; impersonalia vocis activae iunguntur Genitivo rei praeter Accusativum personae:

1. *Affectum* aliquem indicantia, ut: *poenitet*, *pudet*, *piget*, etc.

Nota 1. In his verbis Nominativum latere putant nonnulli, aut fuisse olim personalia.
2. Saepe ponitur Infinitivus pro Genitivo.

2. *Interest*, *et refert.*

Nota 1. Pronomina *mea*, *tua*, *sua*, *nostra*, *vestra*, verbis *interest et refert* iunguntur.

2. Modus, quam *multum*, aut *parum* interest, non tantum per adverbia *magnopere*, *multum*, *tantum*, *quantum*, etc., sed etiam per Genitivos *magni*, *permagni*, *tanti*, *quanti*, etc. indicatur.

3. Nonnunquam cum memoratis verbis pronomina possessiva: *mea*, *tua*, etc. cum Genitivo nominis occurrunt.

4. Praeter *nostra omnium* etc. dicitur etiam *nostrum*, *omnium* etc.

5. Dicitur etiam *cuia* vel *cuius* interest.

6. Pro Genitivo rei inanimatae, saepe *interest* Accusativum cum praep. *ad* adsciscit.

7. *Refert* nonnunquam absolute ponitur.

8. *Interest et refert* nullum apertum Nominativum admittunt, praeterquam pronominum: *hoc*, *istud*, *illud*, *id*, *quod*, etc.

9. Huc nonnulli referunt *est*, quando idem significat, atque, *officium est*, *proprium est*.

B) *Syntaxis Verborum Impersonalium cum Dativo.*

1. Quaedam verba *Impersonalia*, quorum multa *eventum vel commodum* fere significant, postulant ante se Nominativum, vel aliquam orationis partem loco Nominativi, post se vero Dativum, ut: *accidit*, *evenit*, *etc.*

Nota 1. Dativus hic nonnullis videtur esse *communis commodi* verborum.

2. Horum verborum nonnulla sunt personalia, et utroque numero efferuntur.

3. *Conducit* interdum, confert fere semper pro Dativo rei inanimatae admittunt Accusativum cum praep. *ad*.

4. *Constat et convenit* etiam praep. cum conveniente casu admittunt.

5. Dicitur etiam, pro *liquet nobis*, liquet inter nos.

C) *Syntaxis Verborum Impersonalium cum Accusativo.*

1. Quaedam verba *Impersonalia* postulant ante se Nominativum, vel loco Nominativi aliquam orationis partem, post se Accusativum, talia sunt: *decet*, *dedecet*, *delectat*, *etc.*

Nota 1. Haec quoque verba non raro utroque numero cum quovis Nominativo tertiae personae usurpantur.

2. *Decet* etiam cum Dativo reperitur.

2. *Oportet* construitur cum Accusativo et infinitivo; nonnunquam cum coniunctione *ut* et coniunctivo; saepissime vero omissa coniunctione *ut*, tota enunciatio manet nihil mutata.

Nota 1. Postrema verbi *oportet* construendi ratio saepe perspicuitati servit.

2. *Oportet* non raro absque Accusativo subiecti occurrit, et modo Nominativum aperte habet, modo membrum orationis loco Nominativi.

3. *Fugit*, *latet*, *praeterit*, *fallit*, cum impersonaliter usurpantur, Acc. regunt.

Nota. *Latet* occurrit etiam cum Dativo: occurrit etiam sine casu.

4. Quaedam *impersonalia* postulant ante se Nominativum, vel loco Nominativi aliquam orationis partem, post se Accusativum cum praep. *ad*, ut: *attinet*, *etc.*

Nota 1. Haec quoque verba utroque numero et cum quovis Nominativo tertiae personae saepius efferuntur.

2. Barbarum est illud vulgare: *Hic liber spectat ad me.*

5. Verbum *pluit* aliqui putant construi cum Accusativo; cum Ablativo, ut: *sanguine*, *lapidibus*, etc. occurrit saepius.

Nota 1. Impersonalium horum verborum: *pluit*, *tonat*, etc. tertiis personis absolute sine Nominativo utimur; interdum etiam aperte additur Nominativus.

2. Exprimitur saepe in Nominativo res quae *pluendo* decidit.

CAPUT IV.

Syntaxis Participiorum.

I. De Participiorum constructione in genere notanda.

1. Participia notionem verbi forma adiectivi exprimunt; partem naturae suae *participant* a nomine, ut: *genus*, *numerum*, *declinationem*, *casum*, et saepe *comparationem*; partem a verbo, ut significationem *actionis*, aut *passionis*, et *tempus*; triplex genus habent, per omnes casus flectuntur, et ad genus, numerum, et casum substantivi sui se accomodant. Regunt etiam casum, ut verba, a quibus derivantur, exprimuntque tempora verbi.

2. Participia in *ans* vel *ens* desinentia Genitivum regunt.

3. Nonnulla etiam participia praeteriti temporis, cum fiunt nomina, regunt Genitivum.

Nota 1. *Eruditus*, *doctus* cum Ablativo.

2. *Peritus* saepe cum Ablativo.

3. Nonnunquam haec tria: *eruditus*, *doctus*, *peritus* praep. *ad* cum Accus. admittunt.

4. *Osus*, *exosus*, *perosus*, *pertaesus* cum Accusat. postremum etiam Genitivo iungi potest.

5. *Natus*, *procreatus*, *satus*, *cretus*, *editus*, *ortus* adsciscunt Abl. cum et sine praep.

4. Futuri temporis passiva Dativum interdum habent; sed frequentius Ablativum.

Nota 1. Quaedam verbalia in *bundus* regunt casum sui verbi.

2. *Utendus*, *abutendus*, *fruendus*, *vescendus*, passive etiam, quod olim Accusativum admitterent, constructa reperiuntur.

II. De Participiorum Resolutione.

1. Vernaculae linguae participia latini reddunt aut *a)* per participia seu adiectiva eiusdem potestatis; aut *b)* per substantiva; aut *c)* denique per particulas *q. q. q.*, *cum*, *dum*, *si*, *postquam*, *quia*, *etsi*, *quamquam*, *quamvis*, etc., quod exemplis variis auctorum classicorum demonstrari potest.

Nota 1. Participia futura in *rus* et *dus* adhibentur loco coniunctionis *ut*, in causa rei declarandae.

2. *Ablativi consequentiae* resolvuntur per Nominativum, et verbi coniunctivum cum particulis *quum*, *dum*, *postquam*, *si*, *quia*, *etsi*, *simul*, *ac*.

3. Saepe participii Ablativus deest, atque ex verbo *sum* suppleri debet.

III. Regulae de recto participiorum usu, et methodo Ablativum absolutum rite struendi, atque particulas *postquam* etc. omittendi.

1. Duae semper constructiones adsunt: una *primaria*, seu *principalis*, seu *subiunctiva*, altera *secundaria*, seu *coniunctiva*, quae particulas *postquam*, *dum*, *si*, *etc.* continet.
2. In constructione *subiunctiva* interdum nihil e *coniunctiva*; interdum vero *Nominativus*, seu alius casus per pronomina: *hic*, *iste*, *ille*, etc. aparte posita, vel tacite intellecta repetitur.
3. Particulae *postquam*, *dum*, *et*, etc. abiiciuntur, et verbum constructionis *coniunctivae* in participium eiusdem temporis, quod verbum exprimebat, convertitur.
4. Videndum, utrum in constructione *subiunctiva* casus aliquis per dicta superius pronomina repetatur.
5. Si in constructione *subiunctiva* ex *coniunctiva* nihil repetatur, ac proinde utraque constructio diversum habeat Nominativum; participium cum suo Nominativo in *Absolutum* ponitur.

6. In hac verbi in participium eiusdem temporis, quod verbum exprimebat, conversione observandum: verbum non semper poni debere, aut posse in eo tempore, in quo ante fuit; verum

a) Quoties particulae *cum, dum*, etc. in constructione *coniunctiva* occurrunt cum Nominativo quidpiam agente, verbum cuiuscunque antea temporis fuerit, convertendum esse in *participium temporis praesentis*; quodsi vero verbum passive significet, *participio praeteriti temporis* utendum esse.

Nota 1. Aliqui in hac verbi finiti in conveniens participium commutatione considerant, an constructio *coniunctiva* (enunciatio secundaria) fiat *ante* subiunctivam (primariam) vel *simul* eodem tempore, vel *post* illam; si *ante*, semper utuntur *participio praeteriti*; *si simul*, *participio praesentis*; si *post*, *participio futuri*.

2. Verbis passiva voce participium praeteriti temporis adhibendum.

3. In hac particularum cum verbis deponentibus omissione, recte utimur participio praeteriti temporis.

b) Particula *postquam* omissa exigit semper *participium praeteriti temporis*, idcirco in voce activa vel non potest omitti, vel, si fieri potest, tempora activa inprimis in passivum commutanda sunt.

Nota 1. Quando verbum activum perfecti, aut plusquamperfecti temporis suum Accusativum habet, tum Accusativus hic in Ablativo; verbum vero in participio praeteriti ponitur, concordatque cum Ablativo facto ex Accusativo.

2. Potest etiam *coniunctiva* constructio resolvi in participium praeteriti, praefixa praep. *post*.

3. Aliquando absolute ponitur participium praeteriti sine nomine.

4. Nonnunquam nomen tantum Ablativo absolute effertur.

5. Quibuslibet verbis addi potest Ablativus absolute positus.

7. Si in constructione *subiunctiva* ex coniunctiva casus aliquis per pronomen repetatur; tum participium concordare debet cum substantivo vel pronomine, ad quod refertur, in numero, genere, et casu.
8. Pronomen demonstrativum *hic*, *iste*, *ille*, etc. si ad illud relatio fiat, itidem abiicitur.
9. Si quod verbum participio conveniente caret, omissio haec particularum, et verbi finiti in participium conversio locum habere non potest.
10. Verbum *sum*, participio praesentis, et perfecti carens, etiam subiicitur, et si utraque enunciatio (*constructio*) unum subiectum commune habet, tum praedicatum enunciationis concordat cum substantivo vel pronomine, ad quod refertur, in numero, genere, et casu; si vero diversum, cum subiecto (*Nominativo*) in Ablativo absoluto ponitur.

Nota. Interdum loco *sum*, verbum aliud, e. g. *ago*, *dego*, *existo*, *moror*, *habito* etc. ponitur.

CAPUT V.

Syntaxis Praepositionum.

1. Verba absoluta et intransitiva praepositionum beneficio in casum transeunt.
2. Transitiva praeter proprium casum, etiam praepositiones cum suis casibus admittunt.
3. Verba composita saepe casum suae praepositionis habent.

Nota 1. Nonnunquam repetitur praepositio.
2. Verbi *adspiro* elegans usus.

4. Praepositiones, quae Accusativum regunt, memoriae iuvandae causa, in versus redactae.

Nota 1. *Versus* casui suo postponitur.
2. *Secus* saepenumero adverbium est.
3. *Usque* nominibus urbium adiunctum sine alia praep. iam praeponitur, iam postponitur nominibus urbium; aliis autem nominibus appellativis iunctum amat praepositiones *ad*, *in*, *sub*, etc, adsciscere.

5. Praepositiones Ablativum regentes etiam versiculis expressae.

Nota 1. *A* consonantibus, *ab* vocalibus, et consonantibus praeponitur.
2. *Cum* pronominibus *me*, *se*, etc. postponitur et penitus coalescit.
3. *Clam* invenitur cum Accusativo.
4. *Tenus* postponitur; in plur. Genitivo, sing. Ablativo iungi amat.
5. *Palam et procul* inter adverbia aliqui referunt.
6. *In*, *sub*, *super*, et *subter* modo Accusativum, modo Ablativum pro varia significatione postulant.

6. Praepositio, quando suo casu privatur, in adverbium migrat.

Nota. Praepositiones nonnunquam aliis praepositionibus praeponuntur, retenta sua significatione.

CAPUT VI.

Syntaxis Adverbiorum.

I. De Casibus post quaedam Adverbia.

2. *En*, *ecce*, cum Nominativo, et Accusativo.

Nota 1. *Ecce* etiam cum Dativo.
2. Eodem modo et *Hem* usurpatur.

2. *Genitivum* postulant:
a) *Satis*, *abunde*, *affatim*, *parum*, *nimis*, *etc.*
b) Adverbia a superlativis orta.

Nota. Genitivus hic in Abl. cum praep. migrare potest.

c) Adverbia loci, *ubi*, *ubinam*, *ubicunque*, etc. Genitivum *terrarum gentium*; adverbia vero *huc*, *eo*, *hic*, etiam aliorum substantivorum Genitivos admittunt.

Nota 1. Dicitur et *longe gentium.*
2. *Tunc et cum* Genitivo *temporis.*

d) *Pridie*, *et postridie* Genitivum et Accus. petunt.

Nota 1. Pridie, et postridie, natura sua regunt Genitivum; si cum Accusativo legantur, intellige *ante vel post*.

2. Admittunt verbum cum particula *quam*.

3. *Dativum* quaedam adverbia regunt more eorum, a quibus ducuntur.

4. *Accusativum* exigunt *propius*, *proxime*.

5. *Ablativo iunguntur*.

a) *Abhinc* verbis praeteriti temporis.

Nota. Saepe iungitur etiam Accusativo.

b) *Comparativa* adverbia.

Nota 1. *Plus*, *amplius*, *minus*, saepe sine casu ponuntur absolute, subaudita coniunctione *quam* ad Accusativum, vel Nominativum.

2. Cum iisdem adverbiis iunguntur Acc. et Abl. casus *mensuram* significantes.

II. De Adverbiorum Constructione cum certo verbi modo et tempore.

1. *Dum* de re praesenti adhuc in actu, sed necdum perfecta *Indicativo*, sequente fere voce interea, iungitur.

Nota 1. *Dum*, *donec*, *et quoad* pro quamdiu etiam *Indicativo* iunguntur.

2. *Dum*, *et donec* pro *usquedum*, modo *Indicativum*, modo *Coniunctivum* adsciscunt, prout sententia est finita, vel infinita.

3. *Dum* pro quando retinet *Indicativum*.

4. *Quoad* habet Indicativum et Coniunctivum, prout sententia est finita, vel infinita.

5. *Quoad* etiam interrogative cum *Indicativo* iungitur; in significatione autem pro *usquedum* de re futura habet *Coniunctivum*.

2. *Dudum, pridem, et nuper* praeteritis verborum iungi postulant.

Nota 1. *Dudum et pridem*, quando de actione nondum finita sermo est, etiam Praesens Indicat. admittunt.

2. Sic etiam *iamdudum*, *iampridem*, *iamdiu Indicativi Praesens* adsciscunt, quando adhuc durat actio, *Praeteritum* autem quando cessasse intelligitur.

3. *Ut pro postquam* Indicativum petit.

Nota 1. Pro *quomodo* positum *Coniunctivum* habet.

2. Interdum *ut* simpliciter similitudinem designat.

2. Huc pertinent adverbia: *quasi*, *ceu*, *tanquam*, *perinde*, quae quando *simulationem*, *Coniunctivum*; quando autem *similitudinem* notant, *Indicativum* post se admittunt.

4. *Antequam et priusquam* Indicativis, et Coniunctivis iunguntur.

5. Dantur quaedam formulae tempus relatum sive de *instanti*, sive de *duratione* sequente verbo *Indicativi*, *vel coniunctivi* modi adverbialiter efferendi.

6. *Age*, *agite*, *agedum*, *Imperativo*, *vel Coniunctivo* gaudent, rarius tamen tertiae personae.

Nota 1. *Age*, interdum ponitur cum 1-ma persona *Indicativi.*

2. Non dicimus: *age autem*, sed *age* vero, *sane*, etc.

3. *Age*, *agedum*, non tantum cum sing., sed et cum plur. iungitur.

7. *Non* omnibus modis et personis iungi potest praeter Imperat. 2. pers.

Nota 1. *Non* est particula negativa; *ne* prohibitiva.

2. *Nae*, e. g. profecto fere pronomini praeponitur; et *Indic. vel Coniunct.* poscit.

2. Saepe in *affirmando*, *vel negando* aberrant Latini, dum interrogationibus respondent.

III. De certis Comparationum gradibus, in constructione Adverbiorum usitatis.

1. *Per*, *perquam*, *sane*, *valde*, *oppido*, *admodum*, *etc.* positis gaudent.

Nota. *Per*, *et perquam*, superlativis iunguntur.

2. *Quam* nonnunquam positivis iungitur.

Nota 1. Sequente verbo *possum* aut *queo* superlativo adiungitur.

2. *Possum* nonnunquam exmittitur.

3. *Quam ut* comparativa sequuntur.

4. *Quam pro valde* superlativo adiungitur.

5. Interdum *quam* pro *valde* posit. etiam admittit.

6. *Tam et quam* positiva frequenter, superlativa rarius, comparativa rarissime copulant.

7. *Tam* interdum separatim ponitur cum positivo aut superlativo.

8. *Tam*, *quam*, *pro tanto*, *et quanto* raro reperiuntur comparativo iuncta.

9. Pro *quam* ponitur nonnunquam *ut* nominibus adiectivis, aut adverbiis inde derivatis additum; sive positivi sint gradus, sive superlativi.

3. Adverbia in *um* positivis gaudent, ut: *parum, multum*, *nimium*, etc.

Nota. *Tantum*, *quantum*, *aliquantum*, etiam comparativis nonnunquam iunguntur.

4. O finita adverbia, ut: *multo*, *paulo*, *tanto*, etc.

Nota 1. *Multo*, *tanto*, *quanto*, etiam superlativis adduntur.

2. *Longe*, *et facile* superlativis, aut superlativi vim habentibus, quandoque iungi amant.

3. *Longe*, (pro *valde*) additur nominibus, diversitatem dissimilitudinemque significantibus; item: adverbiis, *aliter*, *secus*, etc.

CAPUT VII.

Syntaxis Interiectionum.

1. Multae interiectiones sine casibus inseri solent orationi.

2. *Hei*, *vae*, *hem*, *heu*, Dativum adsciscunt.

Nota 1. *Vae* etiam cum *Acc.* occurrit

2. *Hem*, *et heu* nonnunquam Accusativo vel Vocativo adhaeret.

3. *O*, *Proh*, *Ah*, *Vah*, *Eheu*, Accusativo adiunguntur.

Nota 1. *O* exigit saepissime *Nominativum et Vocativum*.

2. *Proh* apertissime apud Cic. et alios Vocativum habet

3. *Ah*, *Vah*, etiam *Vocativo* iunguntur.

4. *Cedo*, *et Apage*, sunt verba Imperativi modi, non interiectiones; postulant autem Accusativum. *Cedo* Dativum quoque personae.

4. *Vocativo* iungi amant: *Heus*, *ohe*, *eho*, *ehodum*, *ehem*, *Io!*

Nota 1. *Malum! infandum! mirum!* eleganter interiectionum loco ponuntur.

2. *Quaeso*, *obsecro*, *oro*, *amabo*, ut interiectiones saepe orationi interseruntur.

3. *O utinam! o si!* ut, coniunctivum exigunt.

CAPUT VIII.

Syntaxis Coniunctionum.

1. Coniunctiones *et*, *atque*, *que*, *aut*, etc. similes casus in nominibus, similes modos et tempora, in verbis copulant.

Nota 1. Interdum tamen huic construendi rationi certa dictionum proprietas obstat.

2. Futura diversorum modorum saepe coniunguntur.

2. Coniunctiones: *ut*, *quo*, *ne*, *quin*, poscunt Coniunctivum.

Nota 1. Quando coniunctiones has tempus *Praesens vel Futurum praecedit*; sequitur *Praesens* Coniunctivi modi; praecedente autem *Praeter. Perf.*, *Imperf. vel Plusquamperf.* sequitur plerumque *Imperf. Coniunctivi.*

2. Si post *ut*, *quo*, *ne*, *quin*, futurum sequatur, illud *Futurum Periphrasticum* esse oportet.

2. *Etsi*, *tametsi*, *etiamsi*, *quamquam*, *quamvis*, quando res certa significatur, indicativum postulant: quodsi vero res incerta, et dubia significetur, rectius Coniunctivus sequitur.

Nota. Etsi, *tametsi*, *etiamsi*, *quamquam*, sub initium sententiae Indicativo frequentius iunguntur; in medio et fine sententiae tam Indicativos, quam Coniunctivos recipiunt. *Quamvis*, *licet*, *ut* pro *quamvis*, plerumque Coniunctivo gaudent. *Quamvis* interdum tantum Indicativo praesertim apud Poëtas iungitur.

4. *Cum* in oratione *directa* Indicativo adhaeret, commutarique tunc potest cum *si*, *quando*; in oratione vero *indireta* Coniunctivum postulat, et fere cum *dum*, nonnunquam cum *etsi*, *quandoquidem* con mutari potest.

5. *Si*, *sin*, *siquidem*, *ni*, *nisi*, modo Indicativum, modo Coniunctivum, prout sententia *finita* vel *infinita* significatur, adsciscunt.

Nota Sin ponitur, ubi *si* praecesserit, aut aliud aequivalens.

6. *Quia*, *quoniam*, *quandoquidem*, *quatenus*, fere Indicativum habent, praesertim initio sententiae.

Nota Quia quum significat *eo quod*, Coniunctivum habet.

7. *Quod* causalis in sententia *finita* habet *Indicativum* Praesentis, aut Praeteriti temporis; in sententia vero *infinita*, seu potentiali adsciscit Coniunctivum.

Nota 1. *VALLA* docet utroque modo recte dici; *Quod scribis*, *et quod scribas*, gaudeo.

2. *Quod* praecedente non est, vel nihil est, habet Coniunctivum, et significat *propter quod*.

8. Quando particulae *tantum abest*, incipiunt sententiam, fere bis sequitur causalis *ut*, ita, ut posterius *ut* gravius quiddam assumat, et non raro *contra*, *potius*, *maxime*, *minime*, *valde*, et similes particulas adsciscat.

Nota. Interdum pro posteriore *ut* assumitur *vix*, aut *etiam* cum Indicativo.

FINIS TABELLAE SYNOPTICAE SYNTAXEOS.

INDEX
TABELLAE SYNOPTICAE
SYNTAXEOS LATINAE.

USUS TABELLAE SYNOPTICAE.

Syntaxi, seu octo partium orationis constructione rectae latinitatis maxima pars nititur; quapropter in hac III. Grammatices parte tiro tamdiu exercendus, dum omnes huc pertinentes regulas cognoverit, et tanquam architectum orationis Grammaticae se profiteri ausit. Hunc in finem Tabella etiam haec Synoptica parti huic adnexa est, ut tirones uno quasi obtutu videant epitomen omnium distributionum, regularum, et exceptionum syntacticarum; et in lectione auctorum, praecipue in analysi exercitorum, semper recurrant ad regulas; ut hac repetitionum frequentatione, et exemplorum in Syntaxi fusiore ad confirmandas regulas adductorum, ad quae semper e tabella hac per Magistrum inviabuntur, citationes tirones linguae latinae penitiorem Syntaxeos cognitionem consequantur, eiusque vim, ac rationem sibi propriam reddant.